

bonorum notoriè dicitur venisse ad inopiam, nec haberet vxor vnde se aleret: & sic ista causa & ratione prædicta bona dotalia debent restitui vxori etiam constante matrimonio, pro sustentatione propria & familiæ: argumento text. cum materia in l. ubi adhuc. Cod. de iure dotium, & in terminis ita singulariter tenet Bald. Nouell. in tractatu dotis 7. parte principali 17. speciali.

5 Si verò mulier commisit delictum, aut soluto matrimonio, & tunc indistinctè confiscantur bona dotalia vel iura & actiones competentes pro ea, etiam si bona adhuc sint penes matrum vel hæredes eius: text. est formalis & expressus qui sic debet intelligi in l. si constante §. fina. ff. soluto matri. & ibi notat Bartol. Bald. Paul. Imo. Cuma. & cæteri doct. si verò talis mulier commisit delictum constante matrimonio, tunc in quinque casibus & delictis vt dixi amittit dotem, & bona dotalia possunt confiscari: text. est in dicta l. quinque ll. ff. de bonis damnatorum. Hodie tamen indistinctè amittit dotem, & confiscantur bona dotalia, vt in l. nostra quæ clarè procedit, quando per delictum talis mulier incurrit pœnam mortis, & matrimonium debet solui.

6 Sed pulchrum dubium est, quòd si mulier fecit delictum, per quod non incurrit pœnam mortis, sed aliam mitiorem: taliter quòd debet remanere viua, an tunc confiscentur eius bona dotalia constante matrimonio, etiam quoad fructus pertinentes marito pro oneribus matrimonij, vt in l. dotis fructus ff. de iure dotium & in l. pro oneribus. Codice eodem titul. & reperio quod doctor Pala. Rvui. mouet quæstionem in repe. rub. de don. inter vir. & vxor fol. 46. §. 66. 4. colum. & relinquit cogitandum. Sed mihi videtur absque dubio, quod pleno iure confiscentur prædicta bona dotalia, etiam quoad fructus pertinentes viro, & hoc tam de iure communi in illis quinque casibus in quibus fiebat confiscatio, quam etiam de iure nostro regio, secundum quod indistinctè fit confiscatio in omnibus delictis per nostram legem Tauri: & ista est realis intentio prædictorum iurium, & Doctor. ibi. & adhuc isto etiam casu tenetur maritus præstare alimenta vxori constante matrimonio, & sic durante vita vxoris: nec ab isto onere & obligatione liberatur per confiscationem dotis. Primò, quia in dubio lex vel dispositio referens se ad aliqua bona, debet intelligi simpliciter & absolutè in plena proprietate & vsufructu, argum. text. in l. restituere. ff. de ver. signi. textus in l. videamus §. in Fabiana ff. de usuris textus in l. in condemnatione ff. de regu. iur. Secundò, quia ista est alienatio necessaria per legem: vnde meritò potest indistinctè fieri etiam constante matrimonio, argum. textus in l. alienationes ff. fami. herci. Item etiam quia propriè dos dicitur constante matrimonio, vt notatur in rubr. ff. solut. mar. Prædicta tamen limita & intellige, vt procedant, quando bona dotalia sunt propria ipsius mulieris, vel fuerunt patris vel extranei, sed non stipulati sunt sibi reddi soluto matrimonio: secus tamen est si stipulati sunt dotem sibi reddi soluto matrimonio. nam tunc licet mulier committat delictum propter quod bona ve-

niunt confiscanda, non debet confiscari illa dos patri vel extraneo debita ex suo contractu: text. est singularis & vnicus in l. si dotem. C. de iur. dot. quem ad hoc reputat singularem & vnicum Bald. ibi. 2. lectu. & no. & commendat Odofred. Pet. Cinus, Iaco. But. Bar. Alb. Faber, Angelus, Salic. & communiter alij doctores.

TEXTVS LXXIX.

Ordenamos y mandamos que las leyes de los nuestros reynos que disponen que los hijos dalgo y otras personas por deuda no puedan ser presos, que no ayan lugar, ni se platiquen si la tal deuda descendiere de delicto, o qua si delicto, antes mandamos que por las dichas deudas esten presos como fino fueren hijos dalgo, o exemptos. Id est: Ordinamus ac precipimus, vt horum nostrorum regnorum leges que disponunt, vt Fidalgui, (Nobiles aut quasi nobiles) & quadam alia persona, non possint propter debitum trahi in carceres, non habeant locum nec usum, si eiusmodi debitum venerit ex (commisso) crimine aut quasi crimine, quin potius precipimus, vt pro eiusmodi debitis maneat incarcerati, haud minus quam si Fidalgui non essent.

S V M M A R I V M.

- 1 An & quando nobilis possit incarcerari pro debito civili.
- 2 Quis sit effectus cessionis bonorum.
- 3 In debito descendenti ex delicto non habet locum cessio.
- 4 Quando nobilis negauit se nobilem tempore contractus non gaudet privilegio.
- 5 An & quando debitor fugiens ad ecclesiam gaudeat eius privilegio.
- 6 Quis dicatur nobilis hodie in nostro regno.

L E X. L X X I X.

Nota dispositionem huius legis, quòd nobilis non potest incarcerari pro debito, nisi descendat ex delicto. Pro cuius perfecta intelligentia & declaratione dico & præsuppono, quòd de iure communi debitor potest incarcerari, saltem donec cedat bonis: text. est formalis & expressus in l. prima, & per totum. Codice qui bonis cedere possunt. & ibi commun. doctores: & idem disponit lex prima & quarta, titulo finali, part. quinta, & effectus huius cessionis est, quòd bona vendantur & satisfiat creditoribus, & nihil penitus dimittatur debitori, nisi tantum pannicularia: ita probat textus in lege penultima, ff. de cessione bonorum, & ibi glossa ordinaria, Battolus, Albericus & commu. doctores, probat etiam text. in l. diuus ff. de bonis damnatorum, vbi dicitur quòd etiam ista referuantur condemnatis ad mortem, & potest & debet fieri talis cessio sine aliquo actu ignominioso, text. in l. antepenultima Codice qui bonis cedere poss. & ibi gloss. ordi. & commun. docto.

Item etiam effectus huius cessionis est quòd in bonis postea quæsitis non tenetur debitor in solidum, sed tantum in quantum facere potest text. est in l. 4. de cessione bonorum: text. in §. si.

Insti.

Insti. de actio. & utrobique communiter doctores, & idem disponit *lex. 3. titulo fin. 5. part.* Quod est verum & procedit, præterquam si talis debitor bona sua in fraudem alienavit, & effectus est non soluendo: quia tunc non gaudet beneficio cessionis: textus est singularis & vnicus in *l. si. ff. que in fraud. credit.* quem ad hoc notat & commendat ibi gl. or. Bartolus & communiter doctores, & reputat singularem & vnicum Alb. fideiussor tamen non liberatur per talem cessionem debitoris, nec gaudet beneficio eius: quia est beneficium mere personale quod non transit ad alium: text. est sing. & vnicus in *l. heres à debitore §. quod si stipulator. in fin. ff. de fideiussor.* secundum Bartol. Albe. Bald. Paul. & commun. docto. ibi: & idem disponit *lex. 3. titu. si. 5. part.* Hodie tamen in nostro regno non prodest nec sufficit ista cessio debitori, sed præcisè tenetur soluere & in solidum, aliàs potest incarcerari, & debet detineri in carcere donec soluat, vel seruiat creditori in recompensam debiti: ita disponit *lex. 5. titu. 12. lib. 5. ordina. & pragmática 78. cum duabus sequentibus,* quæ quidem leges & earum dispositio habent locum in vili & plebeio: non verò nobili qui vulgo dicitur Hidalgo: & à fortiori in milite & maiori dignitate constituto. ita determinat nostra l. & ista est eius vera & realis dispositio.

3 Et licet antea idem dispositum erat per *legem 4. titu. 2. l. 4. ordin.* tamen nouiter ista l. intelligitur quando tale debitum descendit ex contractu: secus verò si ex delicto vel quasi: quia tunc nobilis non gaudet prædicto priuilegio, imò potest liberè incarcerari sicut quilibet plebeius: & intantum est verum quòd nobilis non potest pro debito incarcerari, vt procedat & habeat locum etiam si renuntiet huic priuilegio, imò etiam si renuntiet cum iuramento: quia est remedium reuerentiale toti generi nobilitatis, cui per particularem derogari non potest, argumento *lex. in l. alia §. eleganter ff. soluto matrimonio,* & ibi com. opin.

Item quia nemo est dominus membrorum suorum, vt in *l. liber homo ff. ad l. Aquiliam.* Item quia est quædam species seruitutis, cui nemo potest se obligare, vt in *l. Titio centum §. Titio centum, el secundo ff. de cond. & demonstra.*

4 Limita tamen & intellige nostram legem cum materia, præterquam si tempore contractus & obligationis talis debitor negauit se nobilem: quia tunc non gaudet priuilegio, sed potest benè incarcerari: quia ille qui negat qualitatem suæ personæ, ex qua datur sibi aliquod priuilegium, amittit illud: text. est no. & ibi gloss. ordi. & commun. doct. in *l. 1. C. ad Maced. text. in l. qui cum se ff. de re. iudic. text. in l. 1. & 2. & per totum. C. si minor se maio. dixit. textus in l. 4. §. 1. ff. quòd cum eo. textus in l. quid enim. ff. de dolo. textus in l. si. Codice de calu. Quod limita & intellige nisi creditor qui cum nobili contrahit sciret ipsum nobilem, quia tunc non amittit eius priuilegium argumento text. in *l. 1. cum donationis Codic. de transact. textus in l. his qui se obtulit. cum l. seq. & sequen. ff. de rei ven. textus in l. qui se liti obtulit. ff. de peti. hered. text. in l. 1. §. si intelligatur ff. de adili. edict. textus in l. ea qua ff. de contra. emptio.**

textus in *l. prima §. si. de actio. empt. text. in l. nemo videtur de regul. iur.* Item intellige quando negauit scienter: secus si ignoranter: quia tunc non perdit eius priuilegium, arg. text. not. in suo casu in *capit. 1. §. Vasallus el 1. si de feudo defuncti contentio sit inter do. & agna. in V sibus feud. & ibi Bald. & com. Feudita.*

Quæro tamen an in casu, quo talis debitor non sit nobilis nec persona priuilegiata, si fugiat ad ecclesiam possit de ea extrahi, & breuiter & resolutiue dico quòd non: ita probat textus in *l. presenti. §. 1. Cod. de his qui ad eccles. conf. & ibi comm. doct. tenet etiam Abb. & commun. Canonistæ in c. inter alia. de immun. eccles.* Hodie tamen in nostro regno benè potest extrahi seruata forma posita in pragmática pen. lib. prag. scil. requisito iudice ecclesiastico, vt extrahat & tradat iudici sæculari, præstita prius ab ipso iudice sæculari cautione, quod non procedet contra debitorem ad pœnam corporalem, & si iudex ecclesiasticus non fecerit, ipse iudex sæcularis poterit liberè facere, & extrahere sine scandalo: & hoc est hodie dispositum in nostro regno per dict. prag. ex eo quod debitor obligauit personam pro debito. Item etiam ex eo quòd contra personam debitoris est quoddam ius reale & quædam species seruitutis: quia tenetur seruire creditori pro debito. Item quæro quòd debitum dicatur descendere ex delicto vt nobilis possit incarcerari? & breuiter & resolutiue dico, quòd illud quod principaliter venit & debetur, vel in consequentiam accessoriè ex officio iudicis, vt si ex furto, violentia vel alio delicto debeatur aliqua res: vel quando ex delicto in iure fit æstimatio ciuilitè in pecunia: vel quando ex aliquo delicto publico vel priuato, vt homicidij, falsitatis, vel alterius ultra pœnam corporalem sit condemnatio in aliquo interesse partis, quia pro illo potest reus capi, & detineri in carcere, licet sit nobilis, vt in nostra lege & iste sit eius verus & realis sensus & intellectus.

Postremo & finaliter quæro, quis dicatur nobilis? & breuiter & resolutiue dico quòd nobilis dicitur ille, qui ex antiquo & priuilegiato sanguine descendit, qui est exemptus ab oneribus & tributis plebeiorum, dignitate, officio, vel scienti, ita probat text. in *l. 1. & per totum. Codice de digni. lib. 12. & ibi Odoff. Barr. Platea. Lucas de Penna & commu. Doctor. & istam distinctionem tenet expressè Baldus in *l. si. C. de seruis fugi. in si. & intantum filius vel descendens ab isto dicitur nobilis quòd etiam si mater vel linea materna sit vilis & plebeia dicitur nobilis: quia potentior est substantia & materia quàm forma: & ab ea denominatur tanquam à potentiori causa & effectu. Ex quo subinfertur, quòd si mater sit nobilis, & pater vilis & plebeius, filius & descendens erit plebeius, & non gaudet priuilegio nobilitatis: ita probat text. notabilis in *l. nobiliores. Codice de commer. & merca. & ibi doctor. text. in l. fin. C. de seruis fugitiuis, & ibi Bald. & alij doct. text. in cap. venerabilis de prabend. text. in l. 2. & 3. tit. 2. par. 2. textus in l. 1. titu. 10. part. 7. Item etiam intantum, hoc est verum, vt procedat & habeat locum etiam si filius vel descendens sit naturalis***

naturalis tantum: quia cum istud ius & priuilegium descendat à sanguine, & iura sanguinis & naturalia reperiantur in eo, meritò ad eum transit nobilitas & eius priuilegium, argumento text. in l. generaliter §. cum autem. Codice de insti. & substi. text. in l. ex facto. §. si quis rogatus ad Trebell. textus in l. cum pater §. volo. de lega. 2. textus in l. Lucius la 2. §. fin. eodem titul. & in terminis ita tenet Bart. in l. fin. Cod. de verbo. signi. & ibi communiter alij Doctores & ita disponit text. in l. 1. titul. 11. part. 7. Quod tamen limita & intellige, quando est natus ex vnica concubina retenta in domo: secus verò si sit spurius vel vulgò quæsitus: quia tunc propter incertitudinem non gaudet tali priuilegio, vt tenent prædicti doctores, & probat textus in l. pen. ff. de concubinis & ibi Bart. & commu. doctor text. in Authen. licet. Codice de natu. libe. & vnde sumitur, & probat expressè l. 3. titul. 11. part. 4. & lex 2. & 3. titu. 13. part. 4. & l. 1. & 2. & per totum tit. 14. par. 4. Et si quæras quare filius sequitur conditionem & statum matris & non patris, quoad libertatem vel seruitorem: & per consequens si mater est libera & pater seruus, filius erit liber: si verò mater est serua, & pater liber, filius erit seruus: vt in l. partum. Cod. de rei vend. dicas quod vera & fundamentalis ratio est, quia in causa status est maior fauor filiorum: quia tribus temporibus attenditur libertas & status matris, scilicet conceptionis, partus, & medij temporis: vt in l. seruatorum §. ingenui. ff. de statu hominum & in §. 2. Inst. de ingenuis, quoad nobilitatem verò non attenduntur prædicta tempora, idè quoad eam filius necessariò sequitur conditionem patris, per prædictas rationes, & in terminis istam rationem ponit Bald. in l. si. Codice de seru. fugi. & priuilegia eorum vide per l. 1. & totum tit. 2. lib. 4. or. Item adde pro complemento quòd mulier quæ nubit viro nobili dicitur nobilis & gaudet priuilegio mariti: maritus verò non gaudet priuilegio vxoris: textus est in l. femina ff. de Senat. & ibi commun. doctor. text. in l. mulieres C. de dignit. lib. 12. text. in l. mulieres C. de incolis lib. 10. text. in l. 3. titu. 21. 2. part. & durat tale priuilegium post mortem mariti, dum fuerit vidua, vt dictis iuribus, & in l. filij §. vidua ff. ad municipales.

TEXTVS LXXX.

EL marido no pueda acusar de adulterio a vno de los adulteros seyendo biuos: mas que a ambos adultero y adultera los aya de acusar, o a ninguno. Id est: *Maritus accusare non possit adulterij adulterorum alterum illis viuentibus, verum vt vtrumque accuset, adulterum videlicet & adulteram aut (eorum) nullum.*

TEXTVS LXXXI.

SI alguna muger estando con alguno casada, So desposada por palabras de presente en faz de la sancta madre y glesia cometièr adulterio que aunque se diga y prueue por algunas causas y razones que el dicho matrimonio fue ninguno, ora por ser parientes en consanguinidad o afinidad dentro del quarto grado,

ora porque qualquiera dellos sea obligado antes à otro matrimonio: o aya fecho voto de castidad o de entrar en religion, o por otra cosa alguna pues y a por ellos no puedo de hazer lo que no deuan que por esto no se escusen aque el marido pueda acusar de adulterio, assi a la muger como al adultero como si el matrimonio fuesse verdadero: y mandamos que en estos tales que assi auemos por adulteros y en sus bienes se execute lo contenido en la ley del fuero de las leyes que habla cerca de los que comieren delicto de adulterio. Id est: *Si qua mulier alicui nupta, aut sponsa per verba de presenti in facie sancta matris Ecclesie adulterium commiserit, etiam si dicatur & aliquibus causis & rationibus probetur, prædictum Matrimonium fuisse nullum, aut quia essent cognati consanguinei aut affines intra quartum gradum: aut quia eorum alteri Matrimonio antea teneretur: aut vouerit castitatem, aut ingressum religionis, aut ab aliam quamuis causam, quando iam per illos non steterit, quin facerent quod non deberent, propter eiusmodi causas non excusentur, quin maritus possit tam vxorem quam adulterum accusare adulterij perinde ac si Matrimonium esset verum. Et præcipimus, vt in eiusmodi quos pro adulteris habemus, & in eorum bona animaduertatur, prout habetur in lege Fori legum ubi agitur de iis qui admiserint crimen adulterij.*

TEXTVS LXXXII.

EL marido que matare por su propria autoridad al adultero, y la adultera aunque los tome in flagranti delicto, y sea justamente hecha la muette no gane la dote, ni los bienes del que matare: salvo si los matare o condenare por autoridad de nuestra justicia, que en tel caso mandamos que se guarde la ley del fuero de las leyes que en este caso disponen. Id est: *Maritus qui propria auctoritate adulterum & adulteram occiderit, quamuis eos deprehenderit in flagranti delicto, & mors iuste sit inflicta non lucretur dotem, nec occisibona: nisi eos condemnauerit aut occiderit auctoritate nostra Iustitia: nam in eiusmodi casu præcipimus, vt seruetur Lex Fori legum in hunc casum disponentium.*

S V M M A R I V M.

- 1 De iure naturali primo non erat reprobatus nec punibilis aliquis coitus vel accessus carnalis.
- 2 Hodie post leges scriptas quidam coitus est licitus, & quidam reprobatus.
- 3 In matrimonium est castitas & pudicitia, & an in copula matrimoniali sit peccatum veniale?
- 4 Generaliter omnis coitus & accessus est reprobatus & illicitus præterquam matrimonialis.
- 5 De iure civili positivo quidam coitus est punibilis, quidam non: & primo est punibilis cum virgine & vocatur stuprum.
- 6 An hodie pœna stupri sit correctæ de iure canonico?
- 7 Dispositio iuris canonici circa stuprum commissum cum virgine sit seruanda, etiam

- in terris imperij & foro seculari.
- 8 An ille qui virginem corruptit teneatur ducere eam in uxorem & eam dotare, an verò teneatur ad unum tantum.
 - 9 Si ille qui virginem corruptit non potest cum ea contrahere, nec eam dotare, an teneatur pœna stupri imposita de iure civili?
 - 10 An ille qui corruptit & defloravit virginem sponte, & sic ea volente & consentiente, teneatur aliqua pœna.
 - 11 Si virgo postquam fuit corrupta ab uno, contraxit matrimonium cum alio, possit aliquid petere à corruptente?
 - 12 Filia in potestate patris licet fuerit nupta, potest dotem petere à patre?
 - 13 Ille cui debentur alimenta ex iuris dispositione, licet se ipsum aluerit poterit petere alimenta ab obligato.
 - 14 Secundò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum vidua.
 - 15 Tertio est punibilis coitus & accessus cum consanguinea.
 - 16 In probanda copula inter consanguineos maior probatio requiritur quam in probanda copula inter extraneos.
 - 17 Si consanguineus reperitur in eodem lecto cum consanguinea, an ex hoc presumatur inter eos copula?
 - 18 Qualiter probetur copula in peccato nefando contra naturam?
 - 19 Quarto & principaliter est punibilis coitus & accessus cum sacerdote, vel religioso vel coniugato.
 - 20 An leges regales punientes concubinas clericorum valeant & teneant cum ex hoc infamentur ipsi clerici?
 - 21 Ad hoc concubina clerici incurrat pœnas legales, an sufficiat habuisse accessum ad clericum vel coniugatum vel requiratur quod publicè & manifestè retineatur pro tali concubina?
 - 22 Si concubina clerici fuerit coniugata, an incurrat pœnam impositam per prædictas leges regias?
 - 23 Quintò & principaliter est punibilis accessus inter dominam & servum proprium.
 - 24 Sextò & principaliter est punibilis coitus & accessus inter tutorem & pupillam, & curatorem & adultam.
 - 25 Si custos carceris habeat accessum ad mulierem captam & incarceratam, acriter debet puniri.
 - 26 Septimò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum persona alterius sectæ.
 - 27 Octavo & principaliter est punibilis coitus & accessus, quando quis contraxit bis matrimonium.
 - 28 An mulier que contraxit bis matrimonium puniatur eadem pœna qua masculus?
 - 29 Si quis ter vel pluries contraxit matrimonium, an gravius puniatur?
 - 30 Si secundum vel tertium matrimonium quod quis contraxit sit invalidum de iure, an habeat locum prædicta pœna?
 - 31 Si mulier sine dolo credens maritum esse mortuum contraxit secundum vel tertium matrimonium, an incurrat pœnam prædictarum legum?
 - 32 Nonò & principaliter est punibilis accessus contra naturam, & qua sit eius pœna?
 - 33 Si vir vel masculus habeat accessum ad uxorem, vel aliam mulierem, contra naturam qualiter puniantur?
 - 34 Si fœmina cum alia fœmina agat & habeat accessum contra naturam, qualiter puniantur?
 - 35 Decimò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum animali: & qua sit pœna eius, & an ipsum animal debeat puniri?
 - 36 Undecimò & principaliter est punibilis coitus & accessus commissus per vim.
 - 37 An ista pœna raptus habeat locum in fœmina recipiente virum?
 - 38 Item etiam an ista pœna raptus habeat locum in sponso de futuro rapiente sponsam de futuro?
 - 39 Item etiam an ista pœna raptus habeat locum in marito vel sponso de presenti?
 - 40 Si quis rapuit mulierem causa libidinis, non tamen habuit accessum ad eam, an ex solo raptu teneatur?
 - 41 Si quis per vim cognovit aliquam mulierem non interueniente raptu, qua pœna teneatur?
 - 42 Si quis rapuit & cognovit virginem immaturam, nondum viri potentem, qua pœna teneatur?
 - 43 An raptor vel ille qui per vim cognovit aliquam mulierem possit cum ea contrahere matrimonium, & pœnam evitare?
 - 44 Si raptor & mulier rapta confiteantur se ante contulisse matrimonium, an evitabunt pœnam?
 - 45 Pœna raptus non habet locum in eo qui rapuit publicam meretricem.
 - 46 Duodecimò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum muliere coniugata & vocatur adulterium.
 - 47 Qua sit pœna adulterij, tam de iure communi quam Regio.
 - 48 Si matrimonium non valeat nec teneat, an mulier que commisit adulterium teneatur?
 - 49 Quis possit accusare de adulterio?
 - 50 Qualiter & quomodo probetur adulterium?
 - 51 An & quando maritus possit propria auctoritate interficere adulteros?
 - 52 An leges seculares permittentes maritum posse occidere adulteros, sint licite & servanda, cum ex hoc talis maritus incurrat peccatum mortale?
 - 53 In tantum maritus potest occidere uxorem repertam in adulterio, ut procedat & habeat locum etiam si sit prægnans.
 - 54 Mulier prægnans propter delictum bene potest condemnari ad mortem, & valeat sententia: sed executio eius suspenditur donec pariat.

- 55 In tantum maritus potest occidere adulterum repertum in flagranti delicto, ut procedat & habeat locum, etiam si sit clericus constitutus in sacris.
- 56 Si maritus interficiat uxorem & adulterum in flagranti crimine, sed non possit hoc probare, an puniatur maritus, vel qualiter excusetur?
- 57 In delictis quando agitur de reo absolendo, in dubio debet intelligi aliquod esse factum tempore & loco permissio.
- 58 Si maritus interfecit uxorem & adulterum, non tamen repertus in delicto, an excusetur si probet eos commisisse adulterium?
- 59 Verus & realis intellectus ad text. in l. diuus Adrianus, ff. ad leg. Pompe. de Parricid.
- 60 An & quando maritus possit interficere illum quem habet suspectum de uxore?
- 61 An in casibus de quibus maritus potest interficere adulteros, possit alteri vindictam committere & demandare?
- 62 An maritus qui potest adulteros repertos in delicto occidere, possit secum adducere socios & amicos ut ei praestent opem & auxilium?
- 63 An maritus occidens uxorem propria autoritate lucretur dotem & alia bona eius?
- 64 Maritus qui propria autoritate interfecit uxorem & adulterum, possit succedere ab intestato filiis vel heredibus eorum?
- 65 Si uxor requisita ab aliquo de adulterio committendo reuelauit marito suo, an possit licite requirentem decipere, ut iniuriam vel mortem patiatur.
- 66 An custos alicuius Castris vel fortalitij requisitus ab alio ut recipiat pecuniam pro traditione committenda, possit decipere ipsum requirentem.
- 67 An index requisitus a litigante ut pecuniam recipiat, possit decipere requirentem & fingere se velle facere?
- 68 Si maritus decessit antequam mulierem accuset de adulterio an possit petere dotem, & ei possit obstare aliqua exceptio?
- 69 Si uxor adultera decedat & heredes eius petant dotem a marito, an possit maritus eis opponere exceptionem de adulterio?
- 70 Si mulier vidua soluto matrimonio habuit accessum cum alio, an perdat dotem?
- 71 Quas excusationes vel exceptiones habeat uxor adultera?
- 72 An maritus teneatur simul adulterium & adulteram accusare.
- 73 Qua sit poena lenocinij, tam de iure communi quam Regio.
- 74 Si probetur quod quis intercedebat tanquam leno inter aliquos, tamen non fuit consummatum delictum, qua poena teneatur.
- 75 Si mulier coniugata habeat filium ex adulterio de quo ipsa est certa, ma-

ritus autem ignorat, quid faciet in conscientia.

L E X L X X X. Cum duabus ll. sequent.

Istæ tres leges tractant de delicto adulterij. De quo perfectè & magistraliter intendo tractare. Pro cuius perfecta intelligentia & declaratione dico, quod de iure naturali primæuo antequam esset scripta vel matrimonium institutum, non erat reprobatus nec punibilis aliquis coitus vel accessus carnalis: text. in Auth. quibus modis natu. eff. legi. Paragrapho liceat igitur versiculo nec enim collat. 6. cuius pulchra verba sunt, nec enim à principio, quando sola natura sanciebat homines, antequam scripta prouenirent leges, fuit quedam differentia naturalis atque legitimi, text. in Authentic. quibus mod. naturales efficiantur sui Paragrapho natura. colla. 7. cuius verba sunt, natura si quidem ab initio, dum de filiorum procreatione sanciret, scriptis nondum positis legibus, omnes similiter quidem liberos produxit ingenuos, probat etiam text. in l. prima Paragrapho ius naturale, Digestis de iusti. & iur. ibi, hinc descendit maris atque fœminæ coniugatio, text. in cap. ius naturale 1. dist. text. in Paragrapho primo Institut. de iure nat. gent. & ciu. & utrobique glossa ordin. & commun. doctor. & per ista iura istam sentent. & conclusionem ponit Azo in summa, Codice de natur. libe. 2. columna numero tertio, Bartol. notabiliter in l. in concubinato, Digestis de concubinis 1. columna numero tertio, Angel. de Aretin. in Paragrapho primo Institut. de iure nat. gent. & ciu. numero quinto, aded quod de illo iure frater vel consanguineus licitè poterat coire cum sorore, vel alia qualibet consanguinea propter paucitatem gentium, secundum prædictos doctores.

Hodie tamen post leges scriptas quidam coitus est licitus & quidam reprobatus. Coitus licitus est matrimonialis: quia matrimonium institutum est à Deo Domino nostro propter generationem suscipiendam, & fornicationem euitandam, ut habetur Gen. c. 2. & habetur per Paulum ad Corinthios cap. 7. & in cap. sicut §. his ita 23. q. 2. & in cap. quidquid ead. causa & q. & in ca. quod Deus coniungit 33. q. 2. & in cap. nerui in si. 13. dist. & in ca. omne 27. q. 2. & in c. 1. & per tot. de sponsa & matrim. & in c. gaudeamus de diuortijs & in Auth. de nuptiis per totum collat. 4.

Imò in matrimonio est castitas & maxima pudicitia, text. est in l. mulier §. cum proponeretur, ff. ad Trebell. ibi, quod & mulieris pudicitia & patris voto congruebat. text. in l. castitati, C. ad legem Iul. de adulter. text. in l. consensu §. si qua igitur, ibi, quod maximè etiam castas exasperat, C. de repud. text. in cap. Nicena 31. dist. ibi, nuptias & castitatem esse cum propria coniuge. text. in cap. hac autem 30. distinctio, text. in cap. Deus 31. q. 1. cuius verba sunt, Deus masculinum & fœminam propagandi generis causa nuptiali castitati coniungit. Et an venialiter peccet maritus qui solùm causa libidinis & voluptatis explendæ ad uxorem accedat, vide not. per gloss. & doct. in d. c. quidquid 32. q. 2. & notabiles

tabiles effectus & commoda matrimonij vide notabiliter & melius quàm alibi per Ioannem de Neuizanis, in sua summa imperiali, in parte, est nubendum.

4 Omnis autem alius coitus præterquam matrimonialis est illicitus & reprobatus de iure diuino, & in eo communiter peccatum mortale, vt habetur Deuteronomij capite 5. ibi, neque mœchaberis, transumptiuè in capit. nemo 32. q. 4. & in cap. dicat aliquis & in capit. sicut non, ibi, simplex enim fornicatio in sacra scriptura prohibetur ea. can. & quæst. castitas enim valdè amabilis est Deo, aded quòd ipsa sola potest animas suæ maiestati præsentare, vt in Auth. de leno. §. sancimus, collat. 2. imò sola voluntas deliberata sine actu inducit peccatum mortale, vt expressè dicit Dominus noster in Euangelio Matthai cap. 5. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo, & habetur transumptiuè in cap. qui viderit 32. quæst. 5. & in cap. vnum, §. criminis 25. distin. & in cap. omnis de pœni. distin. 1. & in c. sed pensandum 6. dist. Vnde fugiendum est à fornicatione tanquam à peste, quia ultra peccatum mortale plura damna & incommoda affert.

5 De iure autem ciuili positiuo aliquis coitus est punibilis & aliquis non: & primò est punibilis cum virgine: nam si quis virginem etiam volentem corruerit, committit delictum quòd vocatur stuprum: textus est capitalis in l. stuprum, Digestis ad legem Iuliam de adulter. cuius verba sunt, stuprum committit qui liberam mulierem consuetudinis causa non matrimonij continet, excepta videlicet concubina, adulterium in nupta admittitur: stuprum in vidua, vel virgine, vel puero committitur: text. in l. inter liberas, §. lex Iul. eodem titulo, text. in l. inter stuprum, ff. de verbor. significat. text. in l. eum qui duas, Cod. ad legem Iuliam de adulteriis, text. in l. qua adulterium eodem titulo, cuius pœna de iure communi est in honesta persona, & in dignitate constituta, publicatio mediæ bonorum: & in vili persona coëctio corporalis arbitraria cum relegatione: text. est, item lex Iulia. de adulteriis versiculo sua. Instit. de public. iudic. cuius verba sunt, pœnam autem eadem lex irrogat peccatoribus, si honesti sunt, publicationem patris dimidia eorum bonorum: si humilis, corporis coëctionem cum relegatione, & ad hoc illum textum notat & commendat ibi Faber, Angel. Nico. de Neapo. Plat. & commun. doctor. Alber. & doctor. in l. si adulterium cum incestu, §. primo ad legem Iuliam de adulteriis, Salicet. no. in l. eum qui duas prima colum. num. 2. Cod. eodem titulo, Angel. de Aret. in tract. ma. in parte che me ai adulterato la mia dona 15. columna versicul. quero quando dicatur committi stuprum, &c. & idem disponit lex 2. titulo 19. 7. part. & eadem pœna imponitur ipsi mulieri: quia ipsa dicitur delinquere & committere stuprum, vt probant prædicta iura: & adde quod istud delictum potest accusari, vel per iudicem ex officio inquiri infra quinque annos tantum textus est in l. mariti Paragrapho præterea & Paragrapho hoc quinquennium, ff. ad leg. Iul. de adult. & probat præl. par.

Ant. Gomez ad Leg. Tauri.

6 Aduertendum tamen quod hodie ista pœna videtur correcta de iure canonico: quia ille qui virginem corruerit tenetur eam ducere in vxorem & similiter eam dotare secundum qualitatem suæ personæ: si verò ipsa vel pater eius noluerit cum eo contrahere, tunc competentet dotabit eam text. est not. & capitalis in c. 1. de adult. & stupro, cuius verba sunt, si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea dotabit eam, & habebit vxorem: si verò pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis quam virgines accipere consueuerunt, & ibi not. Innocent. Hostiens. Ioann. An. Anton. de Aut. Abb. Panor. Card. Anchar. Ioann. de Ana. & comm. doct. probatur etiam originalis Exod. 22. c. vbi dicitur, si seduxerit quis virginem nec dum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem.

7 Vnum tamen est quòd dispositio illius capituli & eius pœna videtur intelligenda solum de iure canonico, & in terris Papæ, non verò in terris Imperij vel alterius regis vel domini temporalis: quia in eis seruabitur ius commune ciuile, de quo supra dictum est: & in expresso ita tenet Sali. in l. eum qui duas, 1. col. num. 3. Cod. ad legem Iul. de adult. Aug. in addit. Ang. de malef. in part. che me ai adult. 19. col. ver. tu autem in hac materia, & videtur tenere gloss. ord. Ant. de Bu. Car. & clariùs & expressiùs Abb. Panor. & magis commun. opin. in c. 2. eiusdem tit. de adult. sed de communi stylo & consuetudine in nostro regno semper seruatur in practica. dispositio text. in d. c. 1. de adult. & eius pœna.

8 Præsupposito autem quòd dispositio text. in d. c. de adult. procedat & habeat locum tam in foro ciuili quàm canonico pro maiori & necessaria declaratione eius. Primò quero, an præcisè & copulatiuè ille qui virginem corruerit teneatur ad illa duo, scilicet ducere eam in vxorem, & insuper eam dotare? & videtur quod sic, quia ille text. hoc expressè probat dum loquitur copulatiuè, dotabit eam, & habebit vxorem: & ita tenet ibi Innoc. Hostiens. Ioan. Ang. Ant. de But. & Card. Ex quo deducitur & infertur secundum eos quòd illo casu compellitur quis inuitus & præcisè contrahere matrimonium iudicis autoritate ratione delicti commissi: facit etiam text. in c. 1. de eo qui duxit in matri. quam pol. per adult. Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quòd alternatiuè teneatur vel ducere eam in vxorem, vel dotare: & hoc probat text. in cap. 2. eiusd. tit. ibi, aut quam stuprauit, vxorem habeat: aut si renuendam putauit, corporaliter castigatus excommunicatusque in monasterium in quo agat pœnitentiam detrudatur, & istam sententiam & conclusionem tenet expressè Abb. Panor. in d. cap. 1. col. 1. num. 4. vbi dicit, quòd si non ducit eam, tenetur eam benè dotare, taliter quòd debet plus dare quàm eo casu quo eam duceret, & ibi Anchar. 2. colum. num. 5. Ioan. de Ana. 2. colum. versic. not. secundum Innoc. & ita seruatur in practica, & sic iam ego iudicaui.

9 Adde tamen quòd si prædictus reus delinquens nullum eorū vellet facere scilicet nec eam in

vxorem ducere nec dotare : vel fortè non potest aliquid horum facere , quia est vxoratus, vel est ita pauper quod non potest soluere dotem , tunc poterit per iudicem puniri pœna supradicta iuris civilis:ita apertè colligitur ex mente glossæ & dictorum *in d. cap. & in locis supra citatis*. Item eo casu quo non vult eam ducere in vxorem , sed tantùm dotare , debet adhuc puniri aliqua leui pœna , quæ omnia notantur & colliguntur *ex d.c.1.*

10 Secundò quæro, an dispositio text. *in d.c.1. de adulter.* & eius pœna, habeat locum etiam si quis corripit & deflorauit virginem sponte, & sic ea volente & consentiente? & videtur quod non: imò tunc corrupens euitat pœnam: quia requiritur ex parte corrupentis violentia, vel saltem persuasio, fraus, vel dolus, quibus eam subducatur: quòd probat text. *in d.c.1. in quantum dicit, si seduxerit quis virginem, &c.* probat etiam text. *in l.1. versic. is autem, ff. de seruis fugitiuis*, vbi probatur quod quando quis delinquit incitatus à persona vel re super qua delinquitur, mitius punitur quia euitat pœnam si postea pœniteat, & lucrum perceptum restituat: vnde si quis seruum fugitiuum ad se venientem detineat & occultaui, sed postea infra 20. dies domino restituat, euitat pœnam: & ad hoc notat & commendat ibi Bartol. & commun. alij doctor. idem Bartol. *in l. qui ea mente, ff. de furtis prima colum. secunda opposi.* Ex quo infert quod si in domum alicuius veniunt gallinæ vel pulli alterius, vel animalia similia, & ille retineat cum mala fide, & postea pœnitentia ductus, dimittat vel domino reddat, non punitur, sed excusatur à pœna: probat etiam text. *in l. tertia §. si quis volentem, ff. de libero homine exhibendo*, vbi habetur quòd non tenetur quis pœna illius edicti vel tituli, quando liberum hominem volentem retinuit: tamen si dolo, fraude, vel calliditate retinuit, vel seduxit, benè tenetur: text. *in l. prima §. persuadere, ff. de seruo corrupto*, vbi habetur quod persuadere & compellere alium æquiparantur: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Dinus *in regula scienti, de regulis iuris, in 6.1. opposi.* Faber *in suo breuiario in l. vnica, Codice de raptu virginum in fin.* & ibi Bald. *ina. colum. numero vigesimo*, probat etiam text. *in l. fina. titul. septimo libro quarto foro ll.* vbi disponitur, quod si aliqua mulier soluta sponte intraverit in domum alterius causa libidinis, non punitur reus aliqua pœna. Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quod etiam si non interueniat nec probetur aliqua violentia vel persuasio, sed ipsa virgo sponte acquieuit, procedit & habet locum dispositio text. *in dicto cap. primo*, & eius pœna, quia semper præsumitur seducta & decepta, argumento textus notabilis *in iure in l. vnica, §. penult. Codice de raptu virginum versicul. quia hoc ipsum*, cuius verba sunt, *quia hoc ipsum velle mulierem ab insidiis nequissimi hominis qui meditatur rapinam inducitur, nisi etenim eam sollicitauerit nisi odiosis artibus circumuenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere*, & isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem tenet Abbas Panormit. *in*

dicto cap. primo 1. notabili, & Ioann. de Ana. *prima colum. & 1. notabili*. Confirmatur, quia quando quis patitur sibi inferri offensam in corpus, consensus offensi non excusat delinquentem: quia nemo est dominus membrorum suorum, *ut in l. liber homo, ff. ad legem Aquiliam cum similibus*, & isto fundamento & ratione istam eandem sententiam & conclusionem tenet Petr. de Ver. *in addi. ad Iacob. Bu. in l. raptores, Cod. de Episcop. & cleric.* Sed ultra doctor. pro concordia videtur dicendum, quod si probeatur violentia, dolus, vel persuasio viri absque dubio teneatur, similiter etiam in dubio, quando non constet de eius violentia, dolo, vel persuasione teneatur, licet mulier consenserit, si vero expressè constet & probeatur quod ipsa mulier se ingessit & consensit absque aliqua violentia, dolo, vel persuasione viri, nullo modo teneretur? & ita procedat prima sententia & opinio Dini & aliorum, & ita ego practicarem.

11 Tertio principaliter quæro, si fortè ista virgo postquam fuit corrupta contraxit matrimonium cum alio, & non cum ipso corrupente, & habet dotem competentem à patre vel matre, vel ex suo patrimonio: an talis corrupens teneatur eam dotare, & habeat locum dispositio text. *in d. c. 1.* & videtur quod non. Primò, quia cessat ratio fundamentalis illius capituli, nam ipsa mulier iam est nupta, & impossibile est de iure quod corrupens ducat eam in vxorem. Item etiam est dotata & reperit cui nubere possit: ergo non superest aliquid agendum ab ipso corrupente. Confirmatur, quia licet pater vel ascendens teneatur alimenta præstare filio vel descendenti, tamen illud est verum & procedit præterquam si habeat officium vnde se alere possit: textus est *in l. si quis à liberis versicul. denique, ff. de liberis agnoscendis*, & ibi communiter doctores. Sed ego teneo contrarium, imò quod adhuc teneatur ipse corrupens eam dotare: quia licet ipsa aliunde fuerit dotata, non tamen eximitur ipse ab obligatione quam de iure incurrit: nec est inconueniens, quòd constante matrimonio ipsa mulier nupta recipiat dotem vel augmentum dotis.

Pro qua sententia & conclusione facit bene gloss. singularis & vnica *in l. obligamur, ff. de acti. & oblig. in verbo, lege*, vbi dicit, quòd licet filia in potestate patris constituta, fuerit iam nupta, tamen pater tenetur eam dotare vt se liberet ab obligatione legali: quam gloss. ad hoc reputat ibi singularem & vnica Albericus de Rosa. commendat ibi Angelus, & ceteri Doctor. illam etiam reputat singularem idem Albericus, *in l. cum is §. fin. ff. de condiç. indeb.* Alexand. *in l. prima, ff. solut. matrimon. septima col. num. 31.* & ibi moderni: quod est verum & procedit etiam si filia nubat contra voluntatem patris, saltem de iure canonico: gloss. est singularis in iure *in capitulo, hoc factum 32. q. 2.* quam ibi ad hoc notat & commendat Archid. & commun. alij Doctor. & ad hoc reputat singularem Ioan. de Imo. *in l. 1. ff. sol. matr. 3. col. 2.* & sequuntur ibi comm. moderni: licet secus sit de iure civili secundum

13 eos facit etiam in l. de alimentis cum materia, C. de transf. vbi probatur quod ille cui debentur alimenta ex iuris dispositione vel proprio contractu, licet seipsum auerit de suo, tamen bene poterit petere alimenta præteriti temporis & super eis transigere: & ibi notat Bald. & comm. Doctor. Nec obstat text. cum communi opinione in l. si quis à liberis versicul. denique, ff. de liber. agnosc. quia ibi alimenta debentur filio vel descendenti ex æquitate iudicis officio: non verò iure actionis, quæ æquitas cessat in illo casu.

14 Secundò & principaliter est punibilis coitus cum vidua: nam si quis habeat accessum ad viduam honestè viuentem, ambo committunt delictum & crimen stupri, & vtrique tenetur & punitur pœna superdicta, quæ de iure ciuili est imposita pro stupro commisso cum virgine: & in expresso determinant iura per me superius allegata. Hodie tamen in nostro regno de generali consuetudine non imponitur aliqua pœna pro stupro commisso cum vidua, nec vnquam vidi eos puniri vel accusari, vnde concludendum videtur, quod de generali consuetudine & diffimulatione in isto casu ista pœna iam est abolita & præscripta.

15 Tertio & principaliter est punibilis coitus & accessus cum consanguinea: nam si quis scienter habet accessum ad descendente in infinitum, vel ad consanguineam collaterallem infra quartum gradum, committit crimen incestus, pro quo imponitur delinquentibus pœna adulterij, & sic mortis & confiscationis bonorum: textus est capitalis & expressus in l. adulterium cum incestu. Digestis ad legem Iuliam de adulteriis, cuius verba sunt, si adulterium cum incestu committatur, ut puta cum priuigna, nuru, nouerca, mulier similiter quoque punietur: id enim remoto to adulterio eneniret, & ibi tenet gloss. ordinat. Bartol. Alber. Angel. & communiter doctor. Azo in summa, Codice eodem titul. final. column. numero 26. Hostiens. in summa extra de adulter. penult. colum. versic. quid sit incestus cum versicul. sequenti. Ioan. Faber, in 8. item lex Iulia. de adult. in fin. Instit. de public. iudic. & ibi Platea pen. colum. num. 28. & commun. doctor. Angel. de malefic. in parte che me ai adulterato penult. fol. versicul. habeas etiam aduertentiam, & ibi eius additionator Paulus Grillandus, in tractatu de pœnis omnifariam coitus 2. quæst. pen. col. versic. 2. verò casu & 3. qu. 2. col. & idem disponit notabilis lex partitæ 3. tit. 18. 7. part. & hæc eadem pœna habet locum quando quis scienter habet accessum ad vxorem consanguinei sui infra eundem quartum gradum: quia vltra adulterium committit crimen incestus. Item etiam si iam sit soluta per mortem viri committit hoc crimen secundum prædictos doctor, vbi supra. Item etiam istud crimen incestus & eius pœna habet locum, quando quis habet accessum ad aliquam monialem vel religiosam: vel econtra quando soluta habet accessum ad religiosum, secundum eosdem, sed secundum leges Partitæ hoc casu committitur stuprum, & habet locum eius pœna, ita disponit lex final. titul. 19. 7. part. Ant. Gomez. ad Leg. Tauri.

sed postea lege ordinamenti redactum est ad primum ius: & declaratur quod committitur incestus, & habet locum eius pœna, ut in l. 5. tit. 5. lib. 8. ord.

Aduertendum tamen est quod ista pœna videtur hodie correctæ de iure nouo Authenticorum, secundum quod contrahentibus incestas nuptias non imponitur pœna mortis, sed tantum pœna confiscationis omnium bonorum. Item etiam pœna exilij perpetui. Item etiam pœna amissionis officij vel dignitatis quam habeat. Item etiam si fuerit vilis persona potest ei imponi pœna flagellorum, textus est in Authentic. de incestis nuptiis Paragrapho 2. collat. 2. text. in Authentic. incestas, Cod. de incestis nuptiis, cuius verba sunt, incestas nuptias contrahentis pœna est confiscatio bonorum, tam caterorum quam dotis exilium etiam, & cinguli si quo ponitur expoliatio: verberatio quoque si vilis est. Sed pro vera & reali declaratione dico quod iura Authenticorum loquuntur & procedunt, quando quis contraxit matrimonium cum prædicta consanguinea, & ad eam habuit accessum sub colore matrimonij: quia illo casu datur aliqua excusatio. Iura autem superiora habeant locum & remaneant incorrecta, quando quis habuit accessum ad eam sine aliquo matrimonio: quo casu nulla datur excusatio: & in expresso istam sententiam & declarationem probat text. in l. fina. ff. de condi. sine causa, ibi, non enim stupri sed matrimonij gratia datam esse, text. formalis & expressus in l. 3. titulo 18. 7. part. Hodie tamen cum pœna adulterij non sit mortis, sed sit alterata de iure nouo Authenticorum per text. in Auth. sed hodie, C. de adulter. pœna incestus erit arbitraria, argumento text. in l. hos accusare §. omnibus, ff. de accusat. & cum hac pœna arbitraria confiscabitur dimidia pars omnium bonorum: ita disponit text. in l. 5. tit. 15. lib. 8. ordin. & lex 7. tit. fi. eo. lib. & ita practicator, & iam ego practicaui: quod tamen videtur intelligendum, quando non sunt filij prioris matrimonij, argument. text. in l. 3. tit. 18. 7. part.

Vnum tamen est, quod isto casu in probanda copula inter consanguineos maior probatio requiritur quàm in probanda copula inter extraneos: ex quo videtur inferendum, quod licet inter extraneos, sufficeret probatio per coniecturas & præsumptiones non tamen sufficeret inter consanguineos, quia præsumptio honestatis quæ oritur & colligitur pro ipsis reis ex consanguinitate vel affinitate, excludit & eneruat omnes alias præsumptiones quæ essent contra eos: textus est notabilis in proposito in l. si qui adulterij, Codice ad legem Iuliam de adulteriis, vbi habetur quod accusati de adulterio repellebant accusationem prætextu consanguinitatis, cuius verba sunt, si qui adulterij fuerint accusati, & obtentu proximitatis intentata depulerint per commemorationem necessitudinis crimini fidem derogando, dum astimatur non debere credi quod allegatur vel non potuisse committi, &c. & ibi ad hoc notat & commendat Iacob. Butt. & Salicet. text. in l. eum qui probabilem, Codice de Episc. & cleric.

in his enim nihil sæui criminis æstimari fœdus naturale permittit & ibi not. Bald. & alij doct. text. in c. cum in iuuentute verb. extra de præsumptio. vbi similia verba ponuntur, text. in s. pen. de coha. cler. & mulier. cuius verba sunt, à nobis tua fraternitas requisivit, & infra, cum clericis non permittas mulierculas habitare: nisi forte de illis personis existant in quibus naturale fœdus nihil permittat sibi criminis suspicari, & ibi comm. doct.

17 Ex quo probabiliter potest dubitari, si prædicti consanguinei vel affines reperiantur nudus cum nuda in eodem lecto iacentes, an ex hoc solo præsumatur inter eos copula, & censeatur legitimè probata: & videtur quòd non qui licet talis probatio sufficeret & conclu-deret inter extraneos, ut in cap. literis. extra, de præsumptionibus tamen non videtur concludere inter consanguineos: quia fortior & vehementior videtur esse præsumptio honestatis quæ oritur ex consanguinitate vel affinitate, per iura superiora: & in expresso istam sentent. & conclusion. tenet Iacobus Butri. in dicta lege si qui aduersarij, Codice ad legem Iuliam de adulter. & sequitur ibi Salicet. 2. columna numero quinto, & in expresso per illum text. ita tenet Angel. in l. secunda Paragrapho final. numero 3. ff. ad legem Iul. de adul. Sed his non obstantibus ego teneo contrarium, imò quòd hoc casu censeatur probata copula & crimen incestus inter consanguineos: & in terminis ita probat text. in dicto cap. literis de præsumpt. vbi apertè loquitur consanguineos vel affines, & dicit quòd ex tali præsumptione inducitur plena & iuridica probatio contra eos: consanguineum viri eiusdem solum cum sola, nudum cum nuda in eodem lecto iacentes, &c. & ibi expressè notat Abbas in fine, dicendo quòd ex tali præsumptione probatur crimen incestus inter consanguineos vel affines: sequitur etiam & reputat notabile Felin. ibi, columna prima in princip. & dicunt prædicti Doctores. quia licet ille text. loquatur quando agitur ciuilitè ad separationem thori: tamen idem est si ageretur criminaliter ad pœnam delicti, cum sit tam vehemens præsumptio quæ negari non possit, & simus in delicto occulto quòd aliter probati non possit: & ita ego practicaui in quæstione de facto in qua fui assessor. Quod tamen notabiliter intelligerem inter consanguineos collaterales: secùs verò inter ascendentes & descendentes: quia ibi concurrat tam vehemens præsumptio honestatis, quòd excludit aliam. Item intelligerem quando prædicti consanguinei collaterales iacerent in lecto secreto & occultè: secùs verò si palàm: quia tunc non sufficeret: ita probat mihi text. not. in d. c. literis, ibi, dum dicit, multis locis secretis & latebris ad hoc commodis & horis electis, &c. facit etiam text. in l. si. ff. de ritu emp.

18 Item & tertio intelligerem, præterquam in peccato nefando contra naturam cum masculo: quia eo ipso quod duo masculi reperiantur in vno eodèmq; lecto, ex hoc non præsumitur delictum nec accessus carnalis: quia cum agatur de probando actu contra natu-

ram, requiritur vera & legitima probatio: quia præsumptio naturalis excludit præsumptionem contrariam, & non finit eam à iure produci. Ex quo resultat mihi maximum dubium qualiter possit probari delictum contra naturam, cum difficillimum sit quòd testes verè & propriè videant consummationem illius actus: sed teneo pro constanti quòd poterit probari per ipsam propriam, & realem commistionem & accessum: vel eo ipso quod probatur, quod vnus est supra alium vel accedit ei commouendo corpus per actus motiuos luxuriæ contra naturam, taliter quòd aliud non possit præsumi vel coniecturari, nec ad aliud applicari: & in terminis ita probat text. rectè ponderatus in leg. cum vir, Codice de adulteris, quod est nouissimum & per alios non tactum. Ex quibus defendebam in hac ciuitate quendam pauperem à pœna mortis in peccato nefando contra naturam: nam in foro & platea publica hora meridiana coram omni populo accessit ad quoddam animal retro, & super eo extendit pallium & eo operuit punibunda eius, & ibi tetit per aliquod spacium temporis, & plures testes dixerunt se hoc vidisse & credere commisisse peccatum nefandum contra naturam, & captus fuit, & iudex volebat ei imponere pœnam ordinariam delicti contra naturam, & sic condemnare ad pœnam ignis: sed ego defendebam eum ex defectu probationis, dicendo & allegando quòd ex eo quòd erat delictum contra naturam, & in loco publico, & coram omni populo, non deberet præsumi delictum, cum actus & accessus carnalis non sit verè legitimè probatus argumento superiorum. Item etiam allegabam, quòd erat homo infirmus vrinæ & non poterat eam retinere. Item quòd in casu vel actu differenti qui potest applicari & intelligi ad delictum vel innocentiam, potius est piè sumenda innocentia quàm culpa vel delictum: text. est notabilis in l. absentem, Digestis de pœnis, cuius pulchra verba sunt, sanctius enim est nocentem impunitum relinquere quàm innocentem condemnare. Item quòd ex præsumptionibus non approbatis à iure, non debet quis condemnari ad pœnam corporalem: & tantùm iudex fuit recusatus, & assessor absoluit eum: & iudex condemnauit ad torturam, & sibi fuit imposita & nihil confessus fuit, & tandem liberatus & absolutus fuit.

19 Quarto & principaliter est punibilis coitus & accessus cum clerico, sacerdote, vel religioso, vel cum homine coniugato: nam si aliqua mulier etiam soluta & inhonesta habeat accessum ad clericum vel coniugatum, punitur pœna vnus marchæ argenteæ: & postquam semel fuerit condemnata, si reinciderit in idem delictum, punitur pœna alterius marchæ argenteæ, & insuper in exilio vnus anni: & pro tertia vice punitur pœna alterius marchæ argenteæ & flagellorum: quæ quidem pœna pecuniaria diuiditur isto modo: nam duæ partes applicantur fisco, & alia 3. pars applicatur accusatori, vel iudici ex officio inquirenti & exequenti: & ista pœna princi

principaliter imponitur vt detur occasio quod clerici, religiosi & homines coniugati viuant castè, nec inueniant sibi concubinas: ita disponit textus in *l. vigesimatertia* & 24. tit. secundo, libro primo ordinamen. & in *pragmatica* 95. & 96. libro pragmat. fol. 88. postea autem ista pœna est augmentata, quia pro prima vice, talis concubina punitur in pœna prædictæ marchæ argenteæ, & insuper in exilio vnus anni ab oppido vbi commisit delictum & eius territorio: & pro secunda vice punitur pœna prædictæ marchæ argenteæ & in exilio duorum annorum: & pro tertia vice condemnatur pœna flagellorum, & pœna alterius marchæ argenteæ, & exilio vnus anni ita disponit hodie quoddam capitulum de *los Corregidores* fol. 5. columna secunda, & postea fuit alterata & augmentata prædicta pœna, quia pro secunda vice imponitur pœna flagellorum, & exilij vnus anni, & alterius marchæ argenteæ: ita disponit lex 40. in *ll. de Madrid*.

20 Prædicta tamen pœna non habet locum in muliere coniugata, quia licet sit concubina clerici vel religiosi, non potest puniri supra dictis pœnis legalibus, sed tantum maritus potest eam accusare de adulterio: ita probat text. in *l. si uxor. versicul. sed & in ea. Digestis de adulter.* vbi habetur quod licet accessus ad meretricem non sit punibilis, tamen debet intelligi in meretrice non coniugata: secus verò in coniugata: quia illa potest de adulterio accusari, & non cadit sub legibus simpliciter loquentibus de accessu & delicto carnali mulierum: & in expresso isto fundamento & ratione ita determinat Ioann. Andreas in additio. ad Specul. in titulo de iniuriis, & damno dato prima columna in med. & illud dictum reputat singulare Ludou. Roman. in *l. si verò Paragrapho de viro, Digestis solut. matrim. septima column. num. 23.* Alexand. in *l. plerique, ff. de in ius vocand. final. col. num. 12,* & ibi Iason. penultima colum. in fin. & in terminis ita disponit hodie *pragmatica* 95. folio 88. quæ sic quotidie practicatur. Quod tamen singulariter limita & intellige præterquam si maritus talis mulieris concubinæ sciret vitam & mores vxoris suæ & pateretur, consentiret, & dissimularet cum ea: quia tunc talis possit puniri tanquam concubina clerici vel coniugati, & non gauderet priuilegio mulieris coniugatæ: ita singulariter determinat Ioannes Baptista de Sancto Seuerino, in tractatu de debitore fugitino 13. columna numero vigesimo quarto & illud dictum extollit & reputat nouum & singulare Hippolytus de Marsiliis in *l. vnica, Codice de raptu virginum septima columna, numero 31.* Item adde quod in prædictis casibus iudex sæcularis potest intrare domum clericorum, religiosorum, vel coniugatorum, ad inquirendas prædictas concubinas: & in expresso ita determinat prædicta *pragmatica* 96.

21 Aduertendum tamen quod videtur, quod prædictæ leges regni non valeant nec poterunt inducere & disponere, quod puniantur prædictæ concubinæ clericorum, & inquirentur domus eorum: quia directè nec indi-

stinctè non potest rex vel princeps aliquid statuere contra personas Ecclesiasticas vel statutum eorum, argumento textus in capite primo de immunitate Ecclesiarum libro sexto & in capite. tantis 81. distinction. Item etiam quia ex tali processu & sententia lata contra concubinas infamantur ipsi clerici saltem de facto propter criminis connexitatem. Confirmatur etiam ex sententia Constantini, dicentis, quod chlamy de sua cooperiret clericum peccantem, nec ab aliquo videretur, vt habetur in cap. in scripturis 19. distinct.

Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quod principes nostri licitè & iustè potuerunt prædictas leges condere contra publicas concubinas clericorum, nec tunc honestas Ecclesiastica maculatur, sed potius defenditur.

Item etiam quia de iure canonico concubinatus & omnis fornicatio est illicita & reprobata, maximè in clericis & personis Ecclesiasticis, vt in cap. nemo 32. q. 4. cum aliis: ergo bene possunt leges ciuiles isto casu coadiuuare & punire, vt in ca. si in adiutorium 10. distinct. & in ca. 1. cum ibi notatis, de op. nouis nuntiatio. & in expresso reperio, quod ita tenet Ancharra in regula, ea qua de regulis iuris, in 6. 23. q. vbi dicit quod de hac quæstione fuit interrogatus & consultus per clarissimum Principem Carolum, & cum deliberatione sibi respondit, quod valent & sunt iustæ: idem Ancharran. in conf. 196. Ioann. de Ana. in rubri. de adulter. 2. columna & fortè ideo cautè prædictæ leges nostræ regis tantum loquuntur in isto casu, quando prædictæ concubinæ clericorum sunt publicæ & manifestæ.

Vnum tamen est quod hoc casu non sufficeret quod probetur clericum religiosum vel coniugatum habuisse accessum cum aliqua soluta, nec adhuc eos reperite in flagranti delicto, vt ex hoc talis mulier puniatur prædicta pœna tanquam concubina, sed requiritur, quod probetur publicè & manifestè eam habuisse pro concubina, & pro tali publica concubina reputata: quia videntibus & scientibus vicinis ille clericus vel religiosus domum eius intrat, & conuersatur, dando ei necessaria, argumento textus in *l. si vicinis, Codice de nuptiis,* & in terminis ita tenet & declarat Hostiens. Ioannes Andreas, Abb. & communiter doctores in capite. de illo de eo qui cogno. consan. vxor. sua. Palatius Ruui. in sua repetitio. Paragrapho 23. fol. 95. 1. & 2. columna. Adde tamen quod ipse homo coniugatus qui habet prædictam concubinam, potest dici infamis, argumento text. in *l. 2. Codice de incestis nuptiis,* & ibi expressè tenet Baldus & alij doctores.

Quintò & principaliter est punibilis coitus & accessus inter dominam & seruum proprium: nam si seruus habet accessum ad dominam suam, etiam solutam, honestam vel inhonestam, punitur pœna mortis qualificata: quia concrematur, & etiam ipsa domina punitur pœna capitali, id est, mortis: textus est expressus in *l. vnica, Codice de mulieribus qua se propriis seruis coniunxerunt,* & ibi

gloss.ordin. Bartolus, Cinus, Iacobus, But. Baldus, Salicet. & commun. doctores, & ibi exclamat Cinus contra fœminas quæ tam nefandum crimen committunt: exclamat etiam Angelus de Aretin. *in parte, che me ai adulterato 26. columna versic. que sit pœna stupri.* & idem disponit in seruo *lex 2. tit. 19. Part. 1.* imò etiam si talis domina nubat seruo suo, vel ei dederit libertatem, & postea nubat ei, vterque punitur pœna: ita disponit *l. 1. titulo 11. lib. 4. for. ll.*

24 Sextò & principaliter est punibilis coitus & accessus tutoris vel curatoris cum pupilla vel adulta sua, nam si tutor habeat accessum ad pupillam suam durante tutela, imò quòd magis est finita tutela, vel curator habeat accessum ad adultam suam durante cura vel ea finita, punitur pœna deportationis, & pœna confiscationis omnium bonorum suorum: textus est *in l. vn. Codice si quis eam cuius tutor fuerit corruperit,* & ibi notat glossa ordina. Odofred. Bartolus, Cinus, Iacobus Butr. Faber, Baldus, Salicet. & commun. Doctores, & licet illa lex tantum loquatur in eo, qui quondam fuit tutor vel curator, & habuit accessum ad pupillam vel adultam iam exemptam à tutela vel cura: tamen eadem ratio est, & à fortiori in eo qui actualiter est tutor vel curator tempore accessus: & in expresso ita tenet ibi Odofred. & est de mente omnium, & probat text. cum ibi notatis *l. qui pupillam, ff. ad legem Iul. de adult.* & idem disponit text. *in l. 6. tit. 17. part. 7.*

25 Ex quo textu *in dicta l. vn. cum commun. opin. infert singul. Ioan. Faber, in §. item lex Iulia. de adulteriis Institut. de pub. iudic. in fine,* quòd si custos carceris habeat accessum ad mulierem captam vel incarceratam sub custodia sua, acriter deberet puniri: imò de consuetudine pœna mortis, & sequitur ibi Ioannes de Plat. *pen. columna, numero 50.* & illud dictum reputat singul. & vnicum Paris de Puteo *in tractat. syndiscatus in parte adulterium fol. 43.* vbi hoc not. extendit vt procedat etiam si talis mulier sit inhonesta, imò publica meretrix: & in expresso idem tenet Hippol. *in l. 1. ff. ad legem Corneliam de sicariis 2. columna, numero quinto,* tenet etiam & commendat Paulus Grilandus *in tractat. de pœnis omnifariam coitus 13. q. princ.* Quod tamen intellige quando talis mulier meretrix, quæ est capta cognoscitur inuita & per vim: secùs verò alias, quia mitius deberet puniri: ita Cifuentes *in l. 62. in ll. Tauri 3. column. in fin.* Ego tamen dico, quòd cum iste casus à iure non sit decisis, puniretur custos carceris pœna quadam arbitraria, secundum qualitatem personarum & carceris.

26 Septimò & principaliter est punibilis coitus & accessus cum persona alterius seclæ: nam si aliqua mulier, virgo, vel vidua Christiana habeat accessum cum homine alterius seclæ, pro prima vice punitur in pœna medietatis confiscationis bonorum, & applicandis certis personis: de quibus *in l. Part. infra alleganda:* & pro secunda vice punitur in pœna mortis, & in pœna confiscationis omnium bonorum: & si fuerit mulier publica

vel inhonesta, pro prima vice punitur pœna flagellorum, & pro secunda vice punitur pœna mortis: & si fuerit mulier coniugata, debet poni in manibus & potestate mariti, vt de ea faciat quod velit: textus est *in lege finita. titulo vigesimo quinto 7. Part. de iure autem communi quæ pœna imponatur,* vide text. & doctor. *in lege ne quis Christianum, Cod. de Iudais,* & omnino & melius quàm ibi Paulum Grilandum *in tract. de pœnis omnifariam coitus 12. quæst. princ.*

27 Octauò & principaliter est punibilis coitus & accessus, quando quis bis contraxit matrimonium, imò hoc casu punitur ex solo matrimonio, modò habuerit accessum ad secundam vxorem, modò non: & de iure communi pœna est arbitraria, & vltra hoc efficitur infamis, text. est *in lege 2. Cod. de incest. nupt. cuius verba sunt: neminem qui sub ditione sit Romani nominis binas vxores habere posse vulgò patet, cum etiam in edicto pratoris huiusmodi viri infamia notati sunt, quam rem competens iudex inultam esse non patietur,* & ibi notat gloss. ordinar. & commun. doctor. text. est *in l. 1. §. final. ff. de his qui notant. infam. text. in lege quid ergo §. prim. eodem titul. text. in l. cum qui duas, Cod. ad leg. Iul. de adul. facit textus in cap. de benedicto 22. quæst. 1. & ibi doctor. & quod per eum tenet Abb. & doctor. in cap. cum haberet de eo qui dux in matr. quam pol. per adulter. Abb. Clar. Præpos. & doct. in cap. accepisti de sponsa duorum.* Hodie tamen iste talis punitur corporaliter isto modo, nam debet sibi publicè imponi signum in fronte, ad instar literæ quæta disponit text. *in l. 6. titul. 14. lib. 8. ordin. text. in l. 3. titul. 1. libro 5. ord. & in quantum illa l. dicit vltra pœnas à iure statutas, intelligo de pœna infamiæ quæ erat ipso iure imposita per dictas ll. communes supra allegatas.* Item etiam intelligo vltra pœnas positas per *l. no. Par. fl. fin. titul. 17. 7. par.* quæ dicit quòd isto casu ille qui bis contraxit matrimonium punitur in exilio quinque annorum: & insuper confiscantur sibi omnia bona quæ habebat in illo oppido vel loco, vbi tale matrimonium secundum contraxit, & non extantibus filiis vel nepotibus quibus bona applicentur, medietas applicatur parti quæ damnata fuit ignoranter, & alia medietas fisco: & si ambo scienter contraxerunt prædictum matrimonium, puniuntur pœna prædicti exilij, & in confiscatione bonorum quæ habebant in illo loco, & non extantibus filiis vel nepotibus, applicantur fisco: sed an isto casu habeat locum pœna stupri, vt de iure civili quàm canonico: & credo quòd non, cum ista pœna sit competens. Aduertendum tamen quòd aliqui literati huius regni dicunt, quòd illa lex est corrupta, quia non debet dicere quòd imponatur linquenti litera q. quia nullam videtur continere causam vel rationem fundamentalem: sed illa litera debet esse b, quæ sit è contra & sursum, vt patet ad sensum, quasi significet bigamus: & sic est error scriptoris: alij verò dicunt & tenent quòd debet dicere †. quasi male senserit de fide: alij tenent quòd debet dicere ††. quasi per illas duas literas & signa nume

numeralia intelligatur bis contraxisse matrimonium: sed quidquid sit, illa lex communiter practicatur, ut iacet, & imponitur in fronte litera q.

28 Dubium tamen est circa illam legem, an habeat locum in foemina quae contraxit bis matrimonium? & indubitanter teneo quod sic: & hoc tali fundamento & ratione, quia lex vel dispositio quantuncumque poenalis & odiosa loquens in masculo extenditur ad foeminam, quando militat eadem ratio: ita probat in l. si quis in tantum, Codice unde vi, iuncta gloss. mag. in 1. q. & communi opinione, ubi habetur quod poena illius l. loquentis in masculo extenditur ad foeminas, text. in l. vna, iuncta gloss. in verbo sponsam & commun. opin. Codice de rap. virg. text. in l. quicumque, Codice de ser. fugi. text. in l. si quis id quod, ibi, sed & utrumque sexum prator complexus est, Digestis de iurisd. om. iu. text. in l. 2. Codice de in ius vocan. text. cum materia in l. 1. ff. de verbo. sig. & in terminis hoc aperte probat praedicta lex fin. tit. 17. 7. Part. Nec obstat si dicatur quod isto casu maritus potest vxorem accusare de adulterio commisso cum secundo viro, unde videtur cessare alia poena, argumento text. cum materia in l. senatus, ff. de accus. quia illud est verum quando esset vnicum tantum delictum: sed in nostro casu sunt duo delicta, vnum est contractus matrimonij in contemptum Ecclesiae, & istud punitur per praedi. ll. aliud est adulterium si sequatur copula in offensam mariti, inde merito talis mulier veniret puniendi forma praedictarum ll. huius regni: & postea si maritus accuset, sibi tradetur, secundum formam legum nostri regni.

29 Item etiam circa praedictam l. quæro, si quis ter vel pluries contraxit matrimonium viuente prima vxore, vel mulier viuente primo marito, an debent grauius puniri: & recolo me iam hoc vidisse in contingencia facti: & breuiter teneo quod isto casu alterabitur poena, & contrahens grauius debet puniri: unde vltra praedictas poenas puniretur alia poena extraordinaria iudicis arbitrio: quia delictum reiteratum acrius debet puniri, argumento, text. in l. 3. in fin. Cod. de Episc. audien. text. in l. capitalium §. solent, ff. de poenis cum similibus, facit etiam bonus text. in l. hos accusare §. omnibus in fin. ff. de accus. ubi habetur quod quando poena imposta non potest per l. cauere, nec habere locum in aliqua persona, alterabitur poena iudicis arbitrio: & ad hoc summè notat & commendat ibi Bart. in vltimo notabili, & cæteri doct.

30 Item etiam circa praedictam legem quæro, si istud secundum vel tertium matrimonium quod quis contraxit sit inualidum de iure, ratione consanguinitatis, vel ex alio impedimento, an habeat locum praedicta lex & eius poena? Et breuiter dico quod sic: quia ibi non consideratur validitas vel inualiditas matrimonij, sed dolus, culpa, vel delictum contrahentis: quod patet, quia quando quis contraxit secundum vel tertium matrimonium, tale matrimonium ipso iure nullum est, & tamen punitur: ergo idem est quando

ex alia causa vel impedimento esset nullum: & in expresso ita probat text. not. in l. eum qui duas, Codice ad leg. Iul. de adulter. cuius verba sunt, eum qui duas habuit simul vxores, sine dubitatione comitatur infamia: in ea namque re non iuris effectus quotiens nostri matrimonia contrahere plura prohibentur, sed animi destinatio cogitatur, text. in capit. nuper, ubi similia verba ponuntur, extra, de bigamis, text. in lege qui contra. & in Authentic. incestas, C. de incest. nupt. cum similibus, ubi habetur quod ille qui scienter contrahit incestas nuptias cum consanguinea vel affine, licet matrimonium ipso iure non valeat, punitur poenis, de quibus ibi. Nec obstat textus in l. si vxor. §. diuus versicul. sed si ea. ff. ad leg. Iul. de adulter. ubi dicitur quod si matrimonium inter aliquos non valet & vxor commisit adulterium, non potest accusari vt adultera: quia respondeo quod non potest accusari ab ipso marito iure mariti: cum verè non sit, sed benè potest accusari iure extranei, de quo latius infra dicitur.

Item etiam circa praedictam l. quæro si mulier sine dolo credens maritum esse mortuum contraxit secundum matrimonium, vel econtra, & in veritate viuat, an habeat locum poena praedictarum legum huius regni? Et breuiter & resolutiue dico sic, quod si maritus longe absens sit, & de eius morte fuerit certiorata, saltem per vnum testem legitimum & fide dignum, qui in actis deponat cum iuramento, & fama concurrente, poterit impune secundum matrimonium contrahere: textus est in Authentic. vt liceat matri & auia Paragrapho quod autem à nobis collat. 8. ibi notat Bartolus Angelus, & commun. doctores, text. in Authentic. hodie, Codice de repu. & ibi notat gloss. ordin. Bart. Cin. & commun. doctores.

Hodie tamen de iure canonico, cui est standum, poterit impune secundò nubere, si talis mulier certum nuntium de morte eius recipiat textus est in cap. in presentia de probat. & ibi notat & commendat Innocent. Abb. & commun. Doctor. facit etiam textus & ibi notant doctor. in ca. secund. nuptiis, textus & ibi glossa ordinaria & communiter Doctores in capite quoniam frequenter Paragrapho si autem lite non contestata, si verò praedicta mulier aliter contrahat, punitur poena adulterij, & per consequens poena praedictarum legum text. est in dicta Authentic. vt liceat matri & auia Paragrapho quod autem à nobis collat. 8. text. in dicta Authentica hodie versic. si verò, C. de repu. cuius verba sunt: si verò prater hac nupsit, tam ea quam qui eam duxerat, velut adulteri puniantur. & ad hoc notat & commendat ibi Bartolus, Cinus, & commun. doctor. Vnum tamen est quod si talis vera & legitima certioratio de morte viri non interueniat, sed sola fama vel aliqua credulitas, excusaret vxorem ita probat text. nota, in dicto capite secundo de secund. nupt. & ibi tenet glossa ordin. & commun. doctor. gloss. etiam ordin. & commun. doctor. in dict. ca. in presentia, pro qua, communi sententia & conclusione est hodie, l. no. Part. in l. 8. tit. 9. par. 4. facit etiam

etiam no. l. 4. tit. 14. 3. partit. quæ disponit quod in successione probata absentia alicuius per decem annos: cum publica fama mortis potest succedi. Hodie tamen de iure nouo ordinamenti talis mulier ex hac credulitate vel fama non excusaretur in totum sed mitius puniri debet, quia traditur marito ut ex ea faciat quidquid velit, dum tamen non occidat eam textus est in leg. 7. titulo 15. lib. 8. ordinam.

32 Nondò & principaliter est punibilis accessus contra naturam: nam si quis habeat accessum ad alium hominem: committit detestandum & abominabile crimen Sodomie, contra naturam: quod grauius est cæteris criminibus præter hæresim, & tendit in maximam offensam Dei & totius naturæ, in capit. adulterij 35. q. 7. ibi, sed omnium horum est pessimum quod contra naturam fit & in ca. flagitia. eadem causa & questione: & tenet Collectarius in cap. inquisitionis 1. colum. de accus. propter quod crimen quinque ciuitates fuerunt destructæ: tres ex proprio delicto, & duæ ex vicinitate, ut in cap. clerici de excessibus prelatorum, & ibi notat gloss. ordin. & commun. doctor. & in cap. ut clericorum mores de vita & honestate clericorum & in ca. sed & continuo. de peniten. dist. 1. & habetur originaliter Genesis cap. 18. & decimonono, & in veritate pudet, loqui in tam nefando crimine & turpi materia & in ea verba proferre: sed utar consilio & exemplo diui Chrysostomi in declaratione Epistolarum Pauli ad Corinthios, super Epistola. 37. dicentis, quod non dedignentur predicatorum in hoc detestabili crimine verba proferre pro vtilitate populi, ita ego nolo dedignari de eo loqui pro bono publico & instructione iudicum, & pœna malorum, & terrore & exemplo bonorum: & in primis dico quod pœna huius nefandi criminis est pœna mortis & confiscatio omnium bonorum, tam in agente quàm in patiente textus est capitalis & expressus in leg. cum vir. Codice ad l. Iuliam de adulter. cuius verba sunt, cum vir nubit in fœminam vires porrecturam quid cupiat ubi sexus perdidit locum? ubi scelus est id quod non proficit scire: ubi venus mutatur in alteram formam, ubi amor quaritur nec videtur: iubemus insurgere leges, armari iura gladio ultore, ut exquisitis pœnis subdantur infames & qui sunt vel futuri sunt rei, & ibi ad hoc notat glossa ordin. Azo in summa illius tituli, final. columna, numero vigesimoquinto. Odofredus, Cinus, Iacobus, Butri. Bartolus, Albericus, Faber, Baldus, Salicetus, & commun. doctor. de qua lege dicit ibi Bartolus, quod non consuevit legi in Scholis propter turpitudinem materiæ: dicit etiam Alber. quod illius legis est pulcher stylus, turpis materia, sententia iusta. Vnum tamen est, quod verba illius legis si bene inspiciantur non probant hunc intellectum, nec videtur loqui in nostro casu: nam dicit cum vir nubit in fœminam, vnde videtur loqui quando masculus contraxit matrimonium cum alio masculo, & ad eum habuit accessum sub colore matrimonij: & iste videtur sensus illius legis, in quantum dicit,

cum vir nubit in fœminam, id est, vir nupit alteri tanquam fœmina: & istud crimen propriè punit illa lex, non verò simplex crimen Sodomie sine matrimonio: & istum intellectum apertè tenet glossa ordin. in capite cum secundum leges de hæreticis libro 6. in gloss. 1. & circa hoc interrogauit peritissimum in lingua Græca & Latina Commendatarium proprietatis cathedræ in hac nostra Salmanticensi Vniuersitatis regentem qui dixit mihi quod iste erat verus & realis sensus illius legis & verborum eius. Defendit hanc interpretationem Simancas in Catholicis institutionibus titulo 65. numero 76. Rebardus, lib. 4. variar. cap. ultimo. Et confirmatur ex libris authenticis Poëtarum, quibus cauetur quod illo tempore antiquo contrahebantur talia matrimonia inter masculos, & dotes constituebantur ut habetur expresse per Suetonium Tranquillum in vita Neronis 28. capit. dicentem, puerum Sporum exactis testibus etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus, cum dote & flammeo per solenne nuptiarum celeberrimo officio deductum ad se pro uxore habuit. Habetur etiam per Iuuenalem in 2. Satyra. dicentem. Quadraginta dedit Gracchus sextertia, dotem Cornicini & in eadem Satyra, traditur ecce viro clarus genere, atque opibus vir, & rursus in eadem Satyra. Qua causa officij? quid quaris nubit amicus. Item etiam & secundo pro hoc intellectu facit textus in leg. stuprum versic. 1. ff. ad l. Iuliam de adulter. ubi expresse dicitur quod stuprum committitur cum virgine vel vidua, vel puero: ergo apertè ibi probatur quod pro delicto simplici Sodomie non imponatur pœna mortis, sed tantum pœna stupri, quæ est longè minor, ut supra suo proprio loco & delicto diximus.

Tertiò & principaliter pro isto intellectu facit textus expressus in lege tertia versiculo præterea, ff. ad legem Iuliam de vi. ubi habetur quod ille qui per vim stuprauerit puerum vel fœminam tenetur pœna illius legis quæ est deportationis & publicationis bonorum: ergo sine vi erit pœna simplicis stupri, & nullo casu erit pœna mortis. Sed his non obstantibus contrarium est tenendum, imò quod propter hoc delictum Sodomie, etiam sine colore matrimonij, imponatur delinquentibus pœna mortis de iure antiquo: & ita intelligatur prædicta lex, cum vir nam dicit, cur vir nubit in fœminam, debet intelligi, id est, se supponit tanquam fœmina, & assumit officium eius contra naturam, & sic procedat & habeat locum eius pœna, modò inter eos sit contractum matrimonium modò non: & in expresso ultra doctores allego textum expressum & formalem in Paragrapho item lex Iulia. de adulteriis Institut. de publicis in. ubi dicit quod pro stupro & nefando crimine commisso cum masculo imponitur pœna adulterij, quæ est pœna mortis. Nec obstat si quis dicat quod pro stupro non imponitur pœna mortis, sed mitior: quia respondeo quod illud est verum, quando committitur cum fœmina, virgine, vel vidua, secus verò si cum masculo: quia licet sit delictum

delictum stupri, tamen pro eo imponitur pœna mortis: & iste est verus sensus, illorum iurium: & in terminis ita tenet & declarat gloss. ordin. in d. §. item lex Iulia Instit. de public. iudic. & ibi Faber, Angel. Nicol. Platea, & commun. doctor. gloss. ordin. in l. inter liberas, §. 1. ff. ad leg. Iul. de adult. & ibi commun. doctor. gloss. ordin. in l. 2. §. 1. versic. miles, ff. de his, qui not. infam. & ibi commun. doct. tenet etiam Azo in summa, Cod. ad l. Iuli. de adulte. fin. col. num. 25. Odoft. in l. una, Cod. si quis eam cuius tutor fuerit corruperit, Host. in summa, de adulteris 5. col. versic. & qualiter, Angel. de malefi. in parte, che me ai adulterato 15. colum. versic. quaro qua sit pœna stupri, Paulus Grilandus in tractatu de pœnis omnifariam coitus, 2. questio. princip. pen. columna & 8. quest. num. 4. Bonifa. in tract. male. fo. 5. rubri. de adulterio, pro qua communi sententia est hodie text. de iure nouo Authent. in Authent. ut non luxurientur contra naturam colla. 6. vbi aperte imponitur pœna mortis: ibi dum dicit, & vltimis subdere suppliciiis, & ibi notat gloss. ordin. Bart. Ang. de Peru. Iacob. de Bellouiso, & communiter alij doctor. & in expresso idem hodie disponit lex 2. tit. 21. parti. 7. & lex 2. tit. 9. lib. 4. foro ll. imò hodie de iure nouissimo ista pœna mortis est qualificata: nam imponitur pœna ignis, & sic delinquentes concremantur, & omnia eorum bona ipso facto confiscantur: ita disponit pragmatica huius regni 85. fol. 80. lib. pragmaticarum.

33 Et adde quòd idem est si vir habet accessum ad vxorem propriam, vel ad aliam quam licet mulierem vas exterius contra naturam: quia ambo puniuntur prædicta pœna: ita aperte probant prædicta iura, & eorum ratio: & in expresso ita tenet solus Iacob. Butr. in d. l. cum vir, Cod. ad leg. Iul. de adulter. Bertachinus in parte, Sodomita, Bonifacius in suo tract. malefi. in rubr. de raptoribus 2. colum. in fi. Cardin. in Clement. 1. de consang. & affini. 13. q. Philippus Decius in Authent. si qua mulier, Cod. de secund. nupt. 4. colum. num. 9. pro qua sententia & conclusionem facit text. in ca. adulterij 32. qu. 7. ibi, sed omnium horum est pessimum quòd contra naturam fit: ut si vir membro mulieris non ad hoc concesso voluerit uti. text. in ca. vsus eadem causa, & questione: cuius verba sunt, vsus naturalis & licitus est sicut in coniugio, & illicitus sicut in adulterio: contra naturam verò semper illicitus: & proculdubio flagitiosior atque turpior, quem sanctus Apostolus & in masculis & in fœmina arguebat: & istum casum vidi de facto in oppido de Talauera, vbi quidam advena insecutus ab vxore, quia ibi secundo nupserat, captus fuit: & talis vxor accusauit ipsum quòd nedum bis nupserat, sed etiam cum ea habuit accessum contra naturam per vas exterius, ipsa inuita & resistente: & tandem ipse confessus est delictum, & fuit combustus & concrematus.

34 Et idem est si aliqua fœmina agit tanquam masculus cum alia fœmina: quia ambæ dicuntur committere crimen Sodomie contra naturam, & debent puniri prædicta pœna: quia hoc casu militant prædicta iura & co-

rum ratio & in expresso ita tenet glossa singular. in iure, in l. fœdissima, Codice ad l. Iul. de adul. in glossa prima, ibi dum dicit, alij dicunt loqui, cum fœmina agit ut vir, sicut è contra vir ut fœmina infra, eadem l. cum vir, & illam gloss. not. & commendat ibi solus Salicet. idem Salicet. in dicta lege cum vir, Angel. de Aretin. in tractat. male. in parte, che me ai adul. 15. columna versiculo quero qua sit pœna stupri, Philippus Decius in Authent. si qua mulier, Codice de secund. nupt. 4. columna numero nono, tenet etiam Apostolus Paul. ad Roma. capite primo in fin. & expressè Sanctus Thomas 2. questio. 154. articulo vndecimo. Quòd tamen dupliciter declaro. Primo modo si fœmina agit cum alia fœmina mediante aliquo instrumento materiali: & relatum est mihi quòd iste casus iam contigit de facto in quibusdam monialibus quæ fuerunt combustæ. Ex quo videtur inferendum quòd eadem ratione, imò à fortiori, si masculus habeat accessum ad fœminam mediante aliquo instrumento materiali, videatur committere istud nefandum crimen contra naturam & patiatur eandem pœnam: ita probatur ex superi, & iam iste casus contigit de facto in hac ciuitate Salmanticensi, vbi maritus quidam frigidus & impotens ad cognoscendum carnaliter vxorem, intentauit eam corrumpere mediante quodam ligno ad hoc per eum fabricato, & ipsa clamauit & superuenerunt vicini, & captus fuit per iudicem, & iudex fuit recusatus, & causa mihi commissa tanquam assessori: & fuit mihi maximum dubium, & certè si delictum esset consummatum fortè imponeretur sibi pœna mortis: sed cum delictum fuit attentatum, fuit imposita pœna arbitraria flagellorum cum illo instrumento ligneo in collo & pœna exilij temporalis, argumento communis opinionis doctores, in lege si quis non dicam rapere, Codice de Episcop. & cleric. & in lege is qui cum telo, Codice ad legem Corn. de sicar. vbi habetur quòd in atrocioribus delictis effectus & conatus punitur pœna arbitraria: & similiter est mihi relatum quòd istud contigit in ciuitate Corduba: nam maritus primo die nuptiarum credens se impotentem, simili modo voluit vxorem corrumpere, & tandem ipsa clamauit & ipse aufugit.

Secundo modo si fœmina agit cum alia fœmina sine aliquo instrumento: nam secundum medicos & naturales, fœminæ inter se coire possunt delectando, non generando: ut melius quàm alius declarat Nicol. Lus. Florentinus, in sermone 6. tractatu 114. prope finem: vbi dicit ista verba, & dicit Auicenna, quòd mulier & mulier sibi inuicem commiscens suscipiunt semen supra semen, & delectantur: potest enim mulier suscipere semen nedum à viro, sed etiam ab alia muliere: non quidem generatiuum, sed delectationis inductiuum.

Sed ego dicerem quòd in primo casu nefando procederet prædicta glossa & communis opinio, scilicet quando fœmina agit cum alia fœmina mediante aliquo instrumento: sed

fed in secundo casu quando fœmina agit cum alia fœmina sine aliquo instrumento, videtur quod puniatur pœna arbitraria, & recolo quod iam super isto casu fui consultus à quodam iudice cum haberet de facto, & nolui consulere: & postea audiui à quodam iudice fide digno huius regni, quod dū esset iudex in ciuitate Granata contigit punctualiter iste casus, & tandem mulieres delinquentes fuerunt condemnatæ & punitæ pœna flagellorum & galearum, & sententia fuit confirmata per auditores regis illius ciuitatis.

Et idem est si fœmina haberet accessum cum viro tanquam agens: puta si ipsa ascendit supra virum: ita etiam expressè videtur tenere glossa recte intellecta in dicta lege fœdisimam, dum dicit, alij dicunt loqui, cum fœmina agit ut vir, sicut è contra: & in terminis ita reperio quod vno verbo tenet solus Angelus de maleficiis 15. column. versic. quæro quando dicatur committi stuprum, & ibi eius additionator: sed certè hoc casu etiam non auderem imponere pœnam ordinariam cum non reperiat in iure decisum: vnde æquius & iustius esset tantum pœnam arbitrariam imponere.

Item adde quod in isto nefando & detestabili crimine & delicto contra naturam puniatur affectus, & attentatus, licet actus non sit perfectus nec consummatus, ita disponit prædicta pragmatica. 85. libro pragmaticorum. Ex quo infertur quod licet in delictis etiam grauissimis non puniatur affectus & voluntas pœna ordinaria, nec attentatus, saltem de communi consuetudine, ut in lege si quis, non dicam rapere, Cod. de Episcopis & clericis, tamen in isto casu & delicto nefando contra naturam benè punitur solus attentatus pœna ordinaria, sicut si actus esset consummatus. Ex quo necessariò quæro & dubito, si quis habet accessum ad alium non per vas exterius, sed inter crura vel in alia parte corporis, vel manibus abutendo, & semen emittendo, an dicatur ex hoc commissum peccatum contra naturam, & imponatur eiusmodi pœna: Et certè videtur quod non Primò, quia sicut naturalis accessus est cum muliere per vas consuetum, ita cum homine per vas exterius: ita probant prædicta iura maximè text. in dicta lege cum vir. ibi dum dicit, ubi sexus perdidit locum, Secundò quia quando delictum requirit certam formam & qualitatem illa deficiente non est delictum: vnde hoc casu tantum puniatur pœna arbitraria & extraordinaria: & in terminis ita tenet Angelus de maleficiis, in parre. che me ai adulterato, versiculo quæro quæ sit pœna stupri. Nec obstat prædicta pragmatica huius regni, quæ habet quod ex solo attentatu, licet delictum non consummetur, puniatur quis pœna ordinaria: quia debet intelligi quando attentatus & præparatio huius nefandi criminis fieret per vas exterius, non verò per alias partes corporis, & ita teneo & concludo.

35 Decimò principaliter est punibilis accessus cum animali: nam si aliquis homo habeat accessum ad aliquod animal, puta ad equam,

vaccam, vel ad aliud animal: vel aliqua mulier habeat accessum ad aliquod animal, & patitur se ab eo cognosci, committit nefandum crimen contra naturam, quod etiam vocatur bestiale, & punitur pœna mortis, textus est singularis in iure, in capit. mulier. 15. question. 1. cuius verba sunt, mulier qua accesserit ad omne pecus, & vult ascendi ab eo, interficietur mulierem, & pecus morte moriatur: rei enim sunt, & ibi ad hoc notat & commendat Archidia. & communiter doctor. & illum textum ad hoc notat etiam & commendat Imola in leg. defuncto. prima columna, ff. de publicis indic. Roman. & communiter moderni in l. 2. Cod. qui testam. facere possunt, idem Romanus, in leg. si vero s. de viro soluto matrimonio 46. fal-len. num. 78. Alexander in leg. ex facto de vulgar. & pupilla. sexta columna, num. 35. & ibi communiter moderni Hippolytus in l. 1. Cod. ad legem Cornel. de sicar. sexta columna, num. 60. & ista pœna probatur in sacra scriptura. Exodi 22. cap. vbi dicitur, Qui coierit cum iumento, morte moriatur. Item etiam Leuitici capite vigesimo, vbi dicitur, Qui cum iumento & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite: mulier qua succubuerit cuiilibet iumento, simul interficietur cum eo, & idem disponit hodie textus in lege secunda, in fine titul. 21. Partita septima, sed dubium est an hoc casu habeat locum pragmatica huius regni supra allegata, quæ ponit delictum contra naturam: Et certè credo quod sic, cum propriè istud sit delictum.

Aduertendum tamen quod animal etiam interficitur, ne duret memoria illius criminis: sed practica huius regni non videtur iuridica, in quantum iudices per sententiam iubent suspendi animal: sed tantum debent interficere, non tamen suspendere: & ista est intentio prædictorum iurium: sed laudabilis est practica propter immanitatem criminis, & propter publicum exemplum. Et ex superioribus infero, quod si quis habet accessum ad quamlibet aliam speciem vel materiam non aptam nec determinatam à natura ad coitum & generationem secundum propriam speciem: committit delictum & crimen contra naturam: & iam relatam est mihi à fide dignis quod contigit & visum est aliquas personas fecisse foramen in terra, & ibi coire & emittere semen, ac si cum aliqua fœmina coirent. Sed an hoc casu debeat imponi pœna mortis, de iure communi, & hodie pœna qualificata pragmaticæ, dubito & teneo quod non: cum lege non caueatur, nec reperiat tale delictum punitum: sed iudex rectè posset imponere pœnam arbitrariam, attenta qualitate facti & personarum.

36 Vndecimò principaliter est punibilis accessus commissus per vim: nam si quis per vim rapuerit aliquam honestam mulierem, virginem, viduam, nuptam, vel religiosam, & habuerit accessum ad eam, puniatur pœna mortis, & omnia bona eius applicantur mulieri raptæ: textus est capitalis & expressus in leg. vna, Cod. de rapto virginum, & ibi glossa ordinaria, Azo in summa, Odofredus, Cinus, Iacobus,

Iacobus Butrigatus, Bartolus, Baldus, Angelus, Salycetus, & communiter Doctores text. in lege raptores. Cod. de episcopis & clericis. & ibi glossa ordinata & communiter Doctores, text. in §. item lex Julia. de vi. versiculo, sint autem. Instit. de publicis indic. text. in lege tertia, titulo vigesimo. Partita septima, text. in lege prima, & secunda, tit. 10. libro 4. foro ll. & si talis violentia fiat in eremo, vel fiat in aliqua ciuitate vel oppido, & cum muliere rapta fugiat delinquens in eremum, est casus de Hermandad: & puniri debet pœna sagittæ, text. est in lege secunda, in legibus de la Hermandad, & ista eadem pœna habet locum in eo qui præstitit auxilium & fauorem, vt hoc delictum committeretur, ita expressè dicunt & disponunt prædicta iura.

37 Item etiam habet locum in fœmina rapiente vitum, licet hoc raro contingat: ita tenet glossa singularis & vnica in dict. leg. vn. Cod. de raptis virginum in verbo, sponsam, quam ad hoc dicit singularem & vnicam Angelus de Peru. ibi in fine, dicens quod semel vidit in ciuitate Flotentæ quendam maretricem combuti ex eo quod per vim rapuerat quendam pulchrum puerum, tenet etiam Baldus ibi fin. colum. penult. quasi. & ibi Hippolytus 36. columna numero 233. vbi dicit communem opinionem, & illam etiam glossam reputat singularem Pettus de Verma in additionibus Iacob. Butriga. in l. raptores. Cod. de episcopis & clericis penultim. columna in medi. pro qua glossa & eius sententia facit expressè textus in dicta lege vna. versicul. pœnas autem. ibi, siue masculi siue fœmina sint. quem ad hoc allegat ibi Bald. licet ille textus loquatur in auxilium vel fauorem præstantem, quod puniatur, modò sit masculus, modò fœmina, à fortiori habebit locum in ea quæ principaliter delinquit: & illam glossam ad hoc reputat notabilem Hippolyt. in l. si quis viduam. ff. de question. columna 2. numero 6. vbi plura cumulat in eius confirmationem. Et istam dicit communem opinionem Paul. Grilan. in tract. de pœnis omnifariam coitus 10. quasi. penult. colum. num. 23.

38 Item etiam habet locum in sponso rapiente sponsam de futuro: quia non est vito subiecta, & per consequens non habet in eam manus iniectioem: textus est in dicta l. vna Cod. de rap. vir. ver. quibus cuius verba sunt, quibus connumeramus etiam eum qui saltem sponsam suam vim rapere ausus fuerit. & ibi tenent commun. docto. & idem disponit prædicta

39 lex Part. l. 3. titu. 20. parti. 7. In vxore autem vel sponsa de præsentis per vim carnaliter cognita per vitum, constat quod non habet locum illa pœna nec dispositio prædictarum ll. quia super ea habet manus iniectioem ratione subiectionis, ita tenet expressè Bald. in dicta l. vn. Cod. de raptu virginum fin. columna & quasi. & ibi Cynus 2. columna numero 4. Salice. 1. colum. numero 13. Confirmatur, quia ratione subiectionis, & quasi possessionis quam habet maritus in vxorem suam potest eam vbicunque inueniret propria auctoritate apprehendere: ita probat textus cum ratione in l. 1. C. vbi quis decuriali aut cohortali.

Ant. Gomez ad Leg. Tauri.

& ibi expressè tenet & notat Baldus & alij doctores, textus in l. generali. Cod. de decurionibus lib. 10. & ibi tenet Pala. 2. colum. in med. facit etiam textus in l. 1. §. fina. & in l. 2. & 3. ff. de libe. exhiben. vbi probatur quod maritus ratione subiectionis & possessionis habet interdictum de vxore deducenda, & patri præfertur in ea retinenda. Dubium tamen est si sponfus rapuit sponsam de præsentis nondum carnaliter cognitam, an teneatur prædicta pœna? Et reperio quod Bald. in dicta l. vna. C. de raptu virginum, fin. col. & quasi. distinguit isto modo: aut potest constare & probari quod talis sponsa volebat ingredi religionem, & tunc tenetur prædicta pœna, tanquam raptor: aut hoc non potest constare nec probari, & nulla pœna tenetur: & idem tenet ibi Salycetus 2. colum. in fin. numer. 12. Sed adde quod prædicta lex partita. simpliciter & indistinctè vult, quod impune possit quis rapere sponsam de præsentis, nisi eam velis limitare & intelligere modo prædicto: sed certè in practica non recederem à prædicta lege partita.

Pro perfecta tamen declaratione horum iurium & materiæ primò quæro, si quis rapuit mulierem causa libidinis, non tamen habuit accessum ad eam, an ex solo raptu teneatur prædicta pœna: Et breuiter videtur quod non: quia duo copulatiuè videntur requirere prædictæ leges: primum est raptus, secundum est carnalis copula. ita probat textus in dicta lege vn. Codice de raptu virginum ibi, maxime cum virginitas vel castitas corrupta restitui non potest, & in versicul. qua multo magis. vbi dicitur quod à fortiori pœna illius legis habet locum in eo qui rapit mulierem nuptam, quia duplici tenetur crimine, scilicet, adulterij & raptus: ergo vult quod vtrumque copulatiuè requiratur: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Ioannes de Anania, in capite cum causa, de raptoribus final. colum. & questione, vbi dicit quod iste casus contigit de facto in ciuitate Bononiæ: & ita fuit consultum & iudicatum, & fuit quidam liberatus à pœna mortis, & alia pœna arbitraria imposita: tenet etiam & reputat singulare Cæpola in consiliis suis. cons. 56. 2. columna numero 9. & pro hac sententia & conclusione videtur esse lex 1. titu. 10. libr. 4. foro legum. quæ disponit quod si rapiat & habeat accessum, puniatur pœna mortis: si verò rapiat & non habeat accessum, puniatur pœna leui pecuniaria.

Sed his non obstantibus ego teneo contrarium, imò quod talis raptor teneatur pœna mortis & prædictarum legum, etiam si non habuerit accessum ad eam: ita probat textus notabilis & expressus in lege qui cœtu. §. qui vacantem ff. ad legem Iuliam. de vi. cuius verba sunt, qui vacantem mulierem rapuerit vel nuptam, ultimo supplicio puniatur. textus in l. 1. §. fina. ff. de extraordin. crimin. text. in capite de raptoribus 36. quasi. prima. Imò quod magis est, eo ipso quod attentauit & procurauit rapere, licet non consummauit, tenetur eadem pœna, textus est expressus & capitalis in lege si quis non dicam rapere. Codice de episcopis & clericis cuius verba sunt, si quis non dicam

BBb rapere,

rapere, sed attentare, tantum iungendi causa matrimonij in sacratissimas virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur. & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Baldus in dicta lege raptores. Codice de episcopis & clericis secunda columna 1. oppositio. & ibi Albericus, secunda columna, versiculo. 1. casu. Paulus de Castr. secunda columna, numero quinto. idem Baldus in dicta lege si quis non dicam rapere. Codice de episcopis & clericis fina. columna. & questione. nec obstat si dicatur quod omnis lex quæ punit affectum in delictis non seruatur de generali consuetudine si non sequatur effectus, saltem quoad imponendam pœnam ordinariam, vt plenè & notabiliter tradit Salycetus in lege is qui cum telo. Codice ad legem Corneliam de fisa. quia respondeo quod illud est verum quando non processit quis ad aliquem actum facti: secus tamen est quando processit ad actum facti; vt quia incepit & tentauit rapere, vt in nostro casu & in dicta lege si quis non dicam rapere, sed certè ista solutio non euacuat difficultatem, quia etiam si quis processit ad aliquem actum facti, non tenetur pœna ordinaria delicti, sed delictum non consummauit: vnde dico quod licet processit quis ad aliquem actum facti vel præparamentum de generali consuetudine, non tenetur pœna ordinaria, si delictum non consummauit: & ita intelligatur & limite-tur textus in dicta l. is qui cum telo. & in dicta l. si quis non dicam rapere. Si verò processit quis ad actum non facti & consummauit delictum, tunc bene teneatur: ergo cum in nostro casu ex solo raptu mulieris sit consummatum delictum, licet non sit secuta copula, sequitur quod raptor tenetur pœna ordinaria prædictarum legum. Hanc tamen sententiam & conclusionem singularem limita & intellige, quando non est sequuta copula: quia raptor non potuit ex aliqua causa: secus verò si non est sequuta ex eo, quia ipse raptor noluit eam cognoscere, tunc non teneatur prædicta pœna ordinaria, sed alia mitiori: & ita possunt concordari istæ diuersæ opiniones, & in expresso ita tenet, & concordant Hippolytus de Marfil. in dict. l. vn. Cod. de raptu virginum antepenultima columna, numero 254. argumento text. & eorum, quæ ibi tradit Bartolus & Doctor. in l. qui falsam ff. ad legem Cornel. de fal. & argum. glos. & eorum quæ ibi traduntur in dicta l. si quis non dicam rapere. in gl. 1. de episc. & cler.

41 Secundò principaliter quæro, si quis per vim habuit accessum ad aliquam mulierem non amouendo illam de loco ad locum, & sic non interueniente raptu, an teneatur pœna mortis, & per consequens pœna prædictarum legum? Et videtur quod non, sed minori pœna debet teneti, scilicet legis Iulie de vi. quæ est pœna deportationis & publicationis omnium bonorum, si violentia fiat cum armis: si verò fiat sine armis imponitur pœna publicationis tertie partis bonorum, vt in §. item lex Iulia, de vi. Institut. de publicis iudic. ita probat textus singularis & expressus in l. 3. versicul. præterea. ff. ad legem Iuliam de vi. vbi expressè dicit quod ille qui per vim cognouerit

aliquam mulierem, punitur pœna legis Iulie, de vi. cuius verba sunt, præterea punitur huius legis pœna, qui puerum vel feminam vel quendam per vim stuprauerit. confirmatum per textum in lege qui coertu. §. qui vacantem eodem titulo. vbi eo casu quo quis rapuerit mulierem punitur pœna mortis: ergo non interueniente raptu, tantum punitur pœna legis Iulie, de vi. probat etiam text. in §. item lex Iulia, de vi. versicul. sin autem per vim. Institutio. de publicis iudic. vbi expressè dicit textus quod si per vim interueniat raptus mulieris, punitur reus pœna prædictæ legis vnice, ergo sequitur quod non punitur illa pœna, si quis per vim cognoscat mulierem sine raptu: & in expresso, licet non ita bene fundet, istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Gandi. Doctor. antiquus summæ autoritatis, in opere suo malefic. in rubric. de multis questionibus dependentibus à statutis 1. columna, secunda questione princip. versicul. item pone questionem quæ militi Bononia contigit de fabbo. tenet etiam Albericus in l. raptores. Codice de episcopis & clericis prima columna, & questione, & ibi notabiliter Paulus de Castro secunda columna, numero quarto. idem Albericus in lege vn. Codice de raptu virginum final. column. in fin. idem Alberic. in 3. par. statutorum 21. questio Ioan. de Plat. in §. sin autem. Institut. de publicis iud. fin. colum. & questio. notabiliter Raph. Cuman. in consil. suis consil. 94. incipiens, Chrystophorus, Hippolytus de Marfil. in dicta lege vn. Cod. de raptu virginum 4. columna numero 12.

Sed his non obstantibus ego teneo contrariam sententiam, imò quod isto casu imponatur pœna mortis, & habeat locum dispositio prædictarum legum. Primò quia hoc casu satis dicitur committi rapina cum per vim talis mulier fuerit cognita, & militat omnino ratio & dispositio prædic. legum. Secundò per text. expressum qui hoc apertè probat in §. item lex Iulia, de adulteriis. versicul. 1. Institut. de publicis iudic. vbi dicit textus quod punitur quis pœna stupri quando habet accessum ad aliquam mulierem, virginem, viduam vel honestam, nulla interueniente vi: dicit ibi gl. quod si interueniat vis punitur pœna prædictæ legis vnice. C. de rapt. virgin. & similibus: ergo apertè dat intelligere quod non requiratur raptus sed sufficit violentia: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet Baldus in lege si quis non dicam rapere fin. colum. & questio. C. de episcopis & clericis. pro qua sententia, & conclusione allego expressam l. partit. 3. tit. 10. partit. 7. vbi expressè dicit tex. quod si quis rapiat aliquam mulierem honestam, vel eam cognoscat per vim, punitur pœna mortis, & prædictis pœnis: ergo apertè vult quod non requiratur raptus.

42 Tertiò principaliter quæro, si quis rapuit virginem immaturam nondum viri potentem, & sic minorem duodecim annorum, & eam carnaliter cognouit per vim, an puniatur pœna mortis, & aliis pœnis de quibus in prædict. leg. vn. C. de raptu virginum cum similibus & videtur quod non, sed mitiori pœna: quia cum talis virgo non sit potens ad copulam, non

non videtur amittere suam virginitatem, nec videtur recipere damnum irreparabile: unde delictum non dicitur consummatum, sed magis attentatum: pro qua sententia & conclusio. facit etiam tex. in dicta leg. vn. C. de rapt. virgin. versicul. maxime. cuius verba sunt, maxime cum virginitas vel castitas corrupta restitui non potest, facit etiam textus nota. in leg. si vxor. §. si minor. ff. ad legem Iuliam. de adulter. vbi habetur quod si mulier minor 12. annorum nupta est alicui viro, & durante minore aetate commisit adulterium, non potest tanquam adultera accusari: & in expresso istam sententiam & conclusionem tenet originaliter Guilielmus de Cuno, in lege si quis non dicam rapere. 2. colum. num. tertio. C. de episcopis & clericis. vbi dicit, quod per hoc euasit quidam à pœna mortis, tenet etiam & sequitur Pala. Ruui. in sua repetitio. §. quinquagesimo sexto folio 34. columna secunda. versicul. facit ad prædicta. Sed his non obstantibus ego teneo contrariam sententiam, imò quod talis raptor vel delinquens qui virginem immaturam & nondum viri potentem carnaliter cognouit vel deflorauit, teneatur pœna mortis, & aliis pœnis contentis in dict. leg. vn. C. de rap. virgin. ac si virgin. maturam & viri potentem deflorasset. Primo per text. not. in l. si quis aliquid. §. qui nondum viri potentem. ff. de pœnis. vbi habetur quod licet pro simplici stupro sine vi commisso in aliquam virginem imponatur pœna confiscationis medietatis bonorum, & si delinquens sit vilis persona, imponatur correctio corporalis arbitraria cum relegatione, vt in §. item lex Iulia. de adulteriis. versicul. final. Institut. de public. iudic. & dixi supra ista repet. tamen istud est verum, quando quis corripit & deflorauit virginem maturam & viri potentem, & sic maiorem 12. annorum secus verò si corripit & deflorauit virginem immaturam & nondum viri potentem, nec aptam ad copulam, & sic minorem 12. annorum: quia tunc, nedum punitur pœna ordinaria stupri, sed etiam alia maiori & acriori pœna: ergo quando tale delictum est commissum per vim, debet teneri delinquens pœna mortis ordinaria, & aliis pœnis contentis in prædict. l. vn. C. de rapt. virgin. cum sim. text. est not. & expressus in d. §. qui nondum. cuius verba sunt, qui nondum viri potentes virgines corrumpunt, humiliores in metallum damnantur, honestiores in insulam relegantur, aut in exilium mittuntur: & ita intelligit illum text. Faber in §. item lex Iulia. Inst. de pu. iu. in fine: & ibi Nicol. de Neapo. Angelus in tract. ma. in parte, che me ai adulter §. colum. vers. quæro quæ sit pœna stupri. Paulus Grilandus in tract. de pœnis omnifariam coitus. 7. quæstio. 2. colum. num. 6. & licet Guiler. & prædicti doctor. illum textum pro sua opinione adducant, tamen decepti sunt: quia non loquitur in stupro commisso per vim, sed sine vi: unde potius est casus apertus pro mea opinione quam pro sua.

Secundò pro hac sententia & conclusione considero textum notabilem & expressum in d. l. vn. C. de raptu virginum. ibi, aut tutoribus vel curatoribus, &c. vbi disponitur quod raptor mulieris repertus in flagranti crimine

Ant. Gomez ad Leg. Tauri.

possit occidi à parentibus vel consanguineis, vel etiam à tutoribus vel curatoribus talis mulieris: ergo apertè dat intelligere quod dispositio illius textus, & eius pœna habet locum in eo qui rapit, vel per vim carnaliter cognouit virginem immaturam, minorem, & nondum viri potentem.

Tertio facit text. in dicta l. si quis non dicam rapere. Cod. de episcopis & clericis. vbi pro solo attentatu raptus imponitur pœna mortis, licet non sit consummatum delictum: ergo à fortiori imponetur in nostro casu & quæstione cum delinquens fecit quod in se erat, & in expresso istam meam sententiam & conclusionem, licet non sic bene fundatam, tenet Bald. in dicta leg. si quis non dicam rapere. fina. colum. & quæstione. Petrus de Vernia in additio. ad Iacobum Butrig. in lege, raptores. eodem titulo, penultima columna, versiculo. sed quæro aliquis. Nicolaus de Neapo. in §. item lex Iulia, de adulteriis. prima columna. Institut. de publicis iudiciis.

Quartò principaliter quæro, an raptor qui per vim cognouit aliquam mulierem possit cum ea legitimè contrahere matrimonium, & ex hoc euitare pœnam delicti. In quo articulo breuiter & resolutiue dico, quod de iure civili nec potest cum ea contrahere matrimonium, nec ex hoc euitabit pœnam: textus est in dicta l. vn. versiculo, nec sit facultas. Cod. de raptu virgin. cuius verba sunt, nec sit facultas rapta virgini, vel vidua vel cuiuslibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere: sed cui parètos voluerint, excepto raptore, eam legitimo copulent matrimonio. text. in Authentica, de raptis mulieribus qua raptoribus nubunt. collati. 9. Hodie tamen de iure canonico cui est standum in vtroque foro, bene valet inter eos matrimonium: textus est in capitulo. tria. & in cap. denique. 36. quæstio. 2. text. capitalis & expressus in cap. fina. de raptoribus. cuius verba sunt, accedens ad apostolicam sedem. & infra: rapta puella legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum. & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum legitima sint persone. & ibi glossa ordina. Innocentius, Hostiensis, Ioannes Andreas, Abbas & communiter Doctores.

Dubium tamen est necessarium & satis quotidianum, si per tale matrimonium excusetur raptor à pœna mortis, & ab aliis pœnis de quibus in prædicta l. vn. Cod. de raptu virgin. cum similibus? Et videtur quod sic: quia in consequentiam videtur dispensatum in pœna, quia aliàs parum prodesset validitas matrimonij.

Item etiam argumento text. cum materia in cap. 1. & 2. de adulte. vbi habetur, quod ille qui stuprauerit virginem, cogitur eam ducere vel dotare: & ex hoc euitat pœnam legalem vt supra dixi & conclusi. Et in expresso ex isto fundamento & ratione istam sententiam & conclusionem. tenet Ioannes Calderinus in d. c. si. extra, de raptoribus. Augustinus de Armino in additionibus ad Angelum, de maleficiis. in parte, che me ai adulterato. 17. col. vers. an ansem per consequens matrimonium, &c.

B B b 2 &

& dicit se habuisse in quæstione de facto, & ita obrinuisse, quod certè est summè notandum in practica: & ante eum tenet etiam Paul. de Castr. in l. raptores Cod. de episcopis. & clericis secunda colu. vbi dicit se ita coluisse: & per eius consilium fuit quidam raptor liberatus à pœna mortis in ciuitate Mâruç: & ita ego iudicauì & practicaui in hac ciuitate Salmaticèsi, dū essem assessor cū iudice ordinario recusato.

Sed his non obstantibus in puncto iuris ego teneo contrariam sententiam, imò quod per matrimonium non excusetur à pœna ordinaria: quia considero quòd licèt matrimonium valeat inter eos de iure Canonico cui est standum, tamen per hoc disposuit aliud ius canonicam, nec potuit disponere in terris imperij circa pœnam ipsius delicti imposità de iure Ciuili: vnde meritò teneretur raptor: nec obstat. text. cum materia in c. 1. & 2. de adulteriis. quia posito quòd eius dispositio seruetur etiam in terris imperij, tamen loquitur & procedit in stupro, & delicto commissio sine vi: in quo videtur decens pœna imposita per illa iura canonica: secus tamen est in delicto atrocissimo raptus: quia in eo illa iura non loquuntur nec esset condigna pœna: & in expresso istam sententiam & conclusionem videtur tenere Cæpola consil. 52. fin. column. numer. 17. Fateor tamen quod hodie in nostro regno procederet prædicta opinio Ioannis Calderi, & sequacium, attenta lege 22. tit. 1. 9. partita, quæ secundum communem errorem & intellectum disponit, quòd facta pace & cōcordia inter partes non imponatur pœna corporalis pro delicto: vnde stante illa lege posset procedere & practitari prædicta opinio in nostro regno, aliter verò nullo modo posset de iure procedere.

44 Circa quod tamen vtiliter & necessario quero, si quis rapuit aliquam mulierem vel sine raptu inuentus sit cum ea taliter quod contra eum probatur stuprum, an evitabit pœnam si vterque eorum dicit & confiterur se antea contraxisse matrimonium? & breuiter dicendum est quod sic: ista est gloss. singularis & vnica in iure in leg. penultima. Cod. de fideiussoribus in verbo confessus. quam ibi ad hoc notat & commendat Baldus, Angelus, & illam gloss. ad hoc dicit vnicam Baldus, in l. quicumque Cod. de seruis fugitiuis, penultima columna, nu. 24. illam etiam dicit vnicam idem Baldus in lege eam quam Cod. de fideicommissis, septima columna, numero 24. illam etiam dicit vnicam Baldus in l. vna de confessis, octaua col. num. 35. notat etiam & commendat idem Bald. in l. 1. Cod. de collusione detegenda, idem Baldus in cap. 1. §. iniuria penul. colum. numero 18. de pace inramento firmanda, in vsibus feudorum, idem Baldus in c. tertio loco extra de presumptionibus. Angel. de maleficiis, in parte, che me ai adulter. 17. column. versicul. pone quod quidam iuuenis, & ibi eius additionator, illam etiam reputat singularem Ioannes de Platea, in §. item lex Julia de adulteriis penultima column. in fi. Inst. de publicis iudiciis. Hippolytus in cons. 61. penultima columna numero, 36. Cæpola in cons. 56. 1. col. Limita tamen & intellige prædictam gl. & eius conclusio. in simplici stupro

& copula carnali sine raptore: secus tamen est in raptu quia apparent signa contraria confessioni. Item etiam secus est in simplici stupro, quando apparent aliqua signa contraria prædictæ confessioni, vt quia scæmina inuenta est plorans, vel clamans: vel fortè qualitas personarum est valde dissimilis: ita in terminis tenet & declarat Salic. & omnes Doctores in locis suprà citatis.

Aduertendum tamen est, quod superiora habent locum & procedunt in virgine, vidua, vel honesta muliere: secus tamen est in publica meretrice quia si quis eam rapiat vel per vim carnaliter eam cognoscat non punitur aliqua pœna text. est singularis in iure in l. verum versic. 1. ff. de furtis, cuius verba sunt, & ideo etiam eum qui fores meretricis effregerit libidinis causa, & fures non ab eo inducti, sed alias ingressi meretricis res eiecerunt, furti non teneri. an tamen vel fauia vel vi teneatur, qui suppressit scortum libidinis causa? & non puto teneri & ita etiam ex facto cum incidisset dixi. & ad hoc illum textum notat & commendat ibi Bartolus, Albericus Angel. & communiter doctores probat etiam text. in l. qua adulterium versic. fi. Cod. ad legem Iul. de adulter. vbi habetur quòd accessus carnalis cum famula vili & turpi existente aliqua caupona non est punibilis cuius verba sunt, ha autem immunes à iudiciali seueritate & stupri & adulterij prestentur quas vita vtilitas digna legum obseruatione non creditur. & ibi notat glossa ordinaria & communiter Doctores text. in l. vn. C. de raptu virginum, cum similibus, vbi expressè requiritur quod ad hoc raptus sit punibilis, oportet quod sit commissus in muliere, virgine vel honesta, & in expresso per iura istam sententiam & conclusionem tenet glossa ordinaria in dicta l. vna Codice de rapt. virgin. in gloss. prima & ibi Azo in summ. Cinus, Albericus, Baldus, Angelus, Salicetus & commun. Doct. præcipuè Hippolytus quinta col. n. 19. gloss. ordin. in §. item lex Iul. de adulter, Inst. de public. indic. in gloss. fin. & ibi commun. scriben. Paul. Grilan. in tract. de penis omnifariam coitus. 10. qu. princ. penult. colum. n. 25. Quod tamen limita & intellige nisi iam desineret meretricari & honestè viueret, secundum prædictos Doctores vbi suprà. Secundo limita & intellige præterquam si talis meretrix sit nupta: quia tunc accessus eius erit punibilis: ita Bald. in d. l. vn. Cod. de raptu virginum fi. col. 1. qu. & ibi alij Doctor. & in locis suprà allegatis.

Duodecimò principaliter est punibilis accessus cum muliere nupta & coniugata: nam si quis habet accessum ad aliquam mulierem nuptam vel coniugatam, committit adulterium: de quo principaliter intendo tractare.

Pro cuius perfecta declaratione primò 47 quero quæ sit pœna adulterij? & resolutiuè dico quod de iure antiquo scortum non reperitur pœna determinata vel statuta, nec erat imposita pœna mortis ita probat textus expressus in lege qui cum vno paragrapho adulterij ff. de re milit. vbi dicit textus, quod reus damnatus crimine adulterij non est recipiendus inter milites: ergo sequitur quòd per sententiam non erat imposita pœna mortis: quia aliàs frustra quære

quæretur an esset recipiendus inter milites : & ad hoc notat ibi gloss. ordin. & communiter doctor. antiqui textus in l. secunda. §. primo versicu. miles. ff. de his qui notantur infam. & ibi gloss. ordin. & communiter doctores textus in l. miles §. fina. ff. ad legem Iuliam. de adulte. textus in l. Claudius. ff. de his quibus ut indigni. & ibi gloss. ordin. & communiter doctores. textus in l. si quis viduam. ff. de questionib. & ibi Bar. Alb. Dinus. & commun. Doct. antiqui tex. in l. scio. ff. de testibus. & ibi gl. ord. & alij Doctores, de iure autem Codicis est imposita pœna mortis, tam in adultero quàm in adultera: tex. est in l. quamuis. la. 2. ver. si. C. ad l. Iul. de adulter. cuius verba sunt, sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet. & ibi tenet gl. ordin. Odofredus, Cinus, Iaco. Butr. Bart. Alber. Bald. Salycetus, & communiter doct. de quo vide melius quàm alibi per Salycetum ibi, pen. col. num. 18. tex. in §. item lex Iul. de adulteriis. Instit. de public. iudic. de iure autem authenticorum talis pœna mortis non imponitur mulieri adulteræ, sed alia mitior pœna: quia detruditur in monasterium ut ibi perpetuò agat pœnitentiam, nisi maritus eam velit recipere infra biennium, in adulterio verò pœna mortis non mutatur: tex. est in Authentica. sed hodie, Cod. ad l. Iul. de adult. & ibi notat & tenet glo. ordin. Odofredus, Cinus, Iacobus Butrig Albericus, Baldus, Angelus, Salycetus, & commun. Doct. tex. in Authentica. ut nulli iudicium. §. si verò quando collatio 9. & ibi Bartol. Angel. & Doctores. & per ista iura sententiam & resolutionem ponit Bartol. in l. si adulterium cum incestu. ff. ad leg. Iul. de adult. & ibi Angel. de Peru. & commu. doct. Faber, Angel. & Platea in §. item lex Iulia de adulteriis. Instit. de public. iudic. Innocen. & communiter Canonistæ, in c. tne. de procurator. Hostiensis in summa, extra, de adulteriis. 4. column. versicu. qua pœna sit imponenda. communiter etiam Canonistæ in c. gaudemus. de conuer. coniuga. Angelus de maleficiis, & eius additionator in parte. cheme ai adulte. 12. colu. vers. quæro qua sit pœna adulterij: vbi dicit hanc esse communem opinionem pro qua sententia & conclusione est lex nota. Part. l. 25. tit. 17. 7. partit.

Hodie tamen de iure nostro regio alia pœna imponitur, quia vterque tam adulter quàm adultera per sententiam iudicis ponitur in potestatem mariti, ut de eis & de eorum bonis faciat quicquid vellet: vnde poterit eos occidere vel aliam quamlibet offensam vel iniuriam inferre tex. est in l. 1. tit. 7. lib. 4. foro legum. tex. in l. 2. tit. 15. lib. 8. ordin. & ita quotidie in isto regno practicitur. Nec mirum quod talis pœna imponitur, cum de iure diuino pœna mortis & lapidationis pro adulterio erat statuta: ut in c. hac imago & in c. satis. 33. q. 5. ex quo inferitur. quòd cum maritus possit eos interficere, quòd poterit eis quamlibet aliam offensam vel iniuriam inferre: & sic poterit manus vel pedes, vel quodlibet aliud membrum abscindere: tex. est notabilis in l. nec in ea. ff. ad l. Iul. de adulter. cuius verba sunt, sed qui occidere potest adulterum; magis contumelia poterit eum iure afficere, & ibi ad hoc notat & commendat Bartol. Albericus, Ang. & comm. Doct.

Ant. Gomez ad Leg. Tauri.

& illum tex. ad hoc notat & commendat Ang. Imol. & communiter moderni in l. in suis. ff. de liberis & posthumis. & ita probat expressè prædicta lex ordin. in quantum dicit faga del y de sus bienes los qui quisiere.

Dubium tamen est an ista pœna habeat locum in sponsa? & videtur dicendum, quòd sic: & in terminis ita probat tex. in l. si vxor. §. diuus. ff. ad legem Iuliam. de adulter. cuius verba sunt, diuus Senerus & Ant. rescripserunt, etiam in sponsam hoc idem vindicandum: quia nec matrimonium qualecunque nec spem matrimonij violare permittitur, & ibi notat glossa Bartolus, Alberticus, Angelus, & communiter doctores tex. in §. si minor. eiusdem legis, tex. in l. miles, §. quærebatur. eod. tit. tex. in l. propter. G. eod. tit. tex. in l. 1. tit. 17. 7. part. Sed in hoc articulo, ista est vera resolutio, quòd in sponsa de presenti habeat locum pœna adulterij: in sponsa verò de futuro, non, & in terminis ita tenet Bald. in d. l. propter. & est de mente Bart. & Doct. in d. §. diuus, & in expresso ita disponit hodie prædicta. lex 2. tit. 15. lib. 8. ordin. & tenet etiam glossa ordinat. in cap. si verò el. 1. de sent. excom. in verbo, cum vxore, & ibi commu. Doct. Vnum tamen est, quòd hodie in nostro regno non potest maritus accusare vnum sine alio, sed aut vtrunque debet accusare, aut vtrunque dimittere, ita disponit nostra lex 80. in ll. Tau. facit etiam tex. notabilis in l. cui pacto. ff. de seruis expor. vbi habetur quòd ille qui pacto vel aliàs non potest intrare suburbia ciuitatis, non poterit etiam intrare ipsam ciuitatem: & ad hoc notat ibi gl. Bartol. & commun. Doct. tex. in l. in actionibus, ver. 1. ff. de in lit. iur. ibi, licuit enim ei, & c. tex. in regula, non debet. ff. de regu. iur. tex. in regula, cui licet, de regul. iur. lib. 6. tradit Bald. in l. si quis, non dicam rapere, 1. col. Cod. de episcop. & cler. & ibi Doct. idem Bald. in l. si. C. de exhib. reis. idem Bald. in l. 1. C. de pri. car. latè moderni in d. l. in suis. Palac. Ruui. in sua repet. fol. 57. 1. col. §. 87. Ex quo datur declaratio ad legem 76. his ll. Tauri. qua cauetur quòd virtute sententiæ & licentiæ iudicis possit inimicus propria autoritate interficere inimicum, ut possit etiam eum offendere, vel quamlibet iniuriam inferre, & in expresso ita tenet Bar. in d. l. nec in ea. & prædicti Doct. vbi supra. Nec obstat si dicatur quòd in pœnalibus & exorbitantibus non est licita extensio ex paritate vel maiori-tate rationis: quia isto casu propriè non fit extensio, sed virtualiter ex vi cuiusdam necessariæ comprehensionis, illud quòd est minus continetur in maiori, secundum Ang. Imol. & Doct. in d. l. in suis. ff. de liberis & postumis.

Item etiam imponitur pœna amissionis bonorum: in quo resolutiuè dico, quòd de iure communi si agebatur ciuilitè ad thori separationem mulier adultera perdebat dotem, & omnia alia bona sua, & applicabantur marito: ita probat tex. notabilis in l. consensu. §. virum. Cod. de repud. & ita tenet gloss. ord. Petrus Cin. Angel. de Peru. & communiter Doct. gloss. ord. Cinus, Alberic. Bald. & commu. doct. in Auth. sed hodie. C. de adulter. Paul. de Castr. vbi notabiliter loquitur in l. rei iudicate. §. 1. col. 2. n. 2. ff. soluto matrimon.

Vnum tamen est, quòd iudex secularis non potest ad hoc cognoscere, sed iudex tantum ecclesiasticus: quia de matrimonio contrahendo vel dissolueno non potest iudex cognoscere principaliter nec incidenter: text. est in *cap. plerumque de donat. inter vir. & vxor.* & ibi tenent commun. doct. *in cap. lator. qui filij sint legitimi. cum simil.* si verò agebatur criminaliter ad pœnam non perdebat dotem, sed prædicta mulier adultera detrucebatur in monasterium: & si maritus intra biennium eam non recipiebat, vel mortuus sit tunc perpetuò debebat ibi remanere: & bona sua diuidantur isto modo, quod liberis extantibus quæ partes applicantur eis, & tertia monasterio: liberis verò extantibus sed parentibus tertia pars eis applicatur & duæ monasterio: liberis verò nec parentibus extantibus, omnia bona applicantur monasterio: ita disponit text. in *d. Authent. sed hodie C. de adulter. & in l. 2 §. tit. 17. 7. partita.* Hodie tamen in nostro regno si agatur ciuilitè, nihil est immutatum, sed idem seruabitur quod disponebatur de iure communi: si verò agatur criminaliter, ius commune est immutatum: quia tam adulter quam adultera debent poni in potestate mariti, vt de eis & eorum bonis faciat quidquid velit, modò habeant liberos modò non: ita expressè disponit prædicta lex. *ordinamenti 2. tit. 15. lib. 8. ordin. licet per leg. 1. titul. 7. lib. 4. fo. ll.* erat dispositum quod extantibus liberis bona non applicentur marito. Sed attende quod hodie per legem 82. in legibus Tauri confirmatur prædicta lex fori: & aliud non potest dici nec teneri in iudicando & consulendo. Quid autem si maritus propria autoritate occidat vxorem & adulterium in flagranti delicto an lucretur dotem, vide infra in propria questione.

48 Secundò principaliter quæro, si matrimoniū non valeat nec teneat inter marit. & vxor. ex aliqua causa puta consanguinitatis, vel alias: & vxor commisit adulterium, an isto casu puniantur pœna adulterij, tam ipsa quam adulter ac si matrimonium valeret? & breuiter dicendum est quòd de iure communi benè tenebantur pœna adulterij: quia etiam matrimonium putatiuum non licet violare, & maritus poterit eos accusare, non iure mariti, sed tanquam extraneus: & similiter poterit eos accusare, non iure mariti, sed tanquam extraneus: & similiter poterit eos accusare quilibet de populo cum sit delictum publicum: text. est notabilis in *l. si vxor. §. diuus. versic. sed si ea. ff. ad l. iul. de adult. cuius verba sunt, sed si ea sit mulier cum qua incestum commissum est, vel ea que quamuis vxor omnino haberetur vxor tamen esse non potest: dicendum est iure mariti accusare eam non posse, iure extranei posse, & ad hoc not. & commendat ibi Bartol. Alberic. Angel. & commu. docto. Ex quo deducitur & infertur quod non poterit maritus propria autoritate eos occidere, etiam repperit in flagranti crimine: text. est in *l. mariti §. fin. eod. tit.* ibi & relictius dicitur eos ius occidendi habere qui iure patris maritine accusare possunt. & ibi tenet Batt. & communiter doctores facit etiam text. in *Auth. de nup. §. si verò ab initio collat. 4.* & ibi not. comm. Doct. tenet etiam Bart. & alij Doct.*

in *l. penul. §. fin. ff. ad municipales contra gl. ibi.*

Secundò infertur quòd non lucrabitur maritus dotem propter adulterium vxoris ita tenet gloss. ordin. in *l. consensu §. quoque. Cod. de repu. in verbo, sibi habere, versic. item quod dices,* quam ibi sequitur & approbat Sal. & commun. alij Doct. Paul. de Castro Alex. & ceteri scribentes in *l. si cum dotem §. fin. 2. colum. ff. soluto matrim.* Contrarium tamen tenet express. gloss. ordin. in *c. plerumque, de donat. inter vir. & vxor. in gloss. magna, in fine.* vbi dicit quòd isto casu maritus lucretur dotem: quam ibi sequitur & commendat Innoc. Hostien. Ioannes Andreas, Anto. de Burr. Cardin. Anchar. Abb. & communiter Doct. Sed concordari possunt isto modo, quod gloss. & commun. opi. in *d. cap. plerumque,* loquitur, quando maritus egit contra vxorem ad separationem thori, & dotem lucranda propter adulterium, & lata sit sententia in fauorem mariti, vnde, licet postea velit vxor dotem repetere ex eo quòd dicat matrimonium fuisse nullum propter aliquod impedimentum, non sibi proderit propter autoritatem rei iudicatæ, & propter alias rationes, de quibus per doctores, ibi glo. verò in *d. l. consensu §. vir quoque.* loquitur & procedit quando vxor principaliter egit ad separationem matrimonij propter affinitatem vel consanguinitatem, & fertur sententia in qua declaretur matrimonium esse nullum, & maritus vult retinere dotem propter adulterium, quia non poterit: quia verè non fuit inter eos matrimonium, nec ex eo aliquod commodum vel priuilegium tanquam maritus consequi debet: & in specie ita dicit & concordat Ioan. Andr. Anton. Anchar. Cardin. & alij Doct. in *d. cap. plerumque de donat. int. vir. & vxor.* Ex quibus patet quòd apertè deceptus est doctor. Pala. Ruu. in isto passu in *rub. de donat. inter vir. & vxor. fol. 19. 1. col. n. 3. fol. 35.* vbi prædicta glo. allegat pro concordantibus, cum in veritate sint inuicem contrariæ. Hodie tamen in nostro regno contrarium decisum est, imò quod licet matrimonium ex aliqua causa non valeat, maritus possit accusare vxorem & adulterium: & sic ambo mittentur in potestatem eius, vt possit de eis & bonis eorum facere quicquid vellet, ac si matrimonium valeret: & per consequens poterit eos propria autoritate decidere, si reperiatur eos in flagranti adulterio: tandem omnis illa pœna quæ habet locum contra adulteros, quando matrimonium valet, & tenet, habet etiam locum quando matrimonium propter aliquam causam de iure non valeret: ita expressè disponit hodie lex 81. infra his leg. Tauri. & ista est vera & propria dispositio. Quam tamen legem intellige, quando matrimonium non valet propter aliquod, legitimum impedimentum consanguinitatis vel affinitatis: secus verò si propter defectum consensus: ita probat ista lex & probat text. in *ca. ad dissoluend. de spon. impub.* & ibi no. Abb. & comm. Doct. & tenet Cisuentes hic & doct. Castillo: ex quo infertur, si per vim contraxit, non potest accusari de adulteriis. Itè infero quod si contraxit in minori ætate, & postea commisit adulterium antequàm confirmaretur matrimonium, non potest postea accusari.

Confirmatur

Confirmatur etiam, quia fortius est matrimonium contractum inter prohibitas personas quam ex defectu consensus: quia primo casu non fit separatio absque iudicio ecclesie, & oritur publicae honestatis iustitia: text. est singul. & vnicus, in cap. porrò de diuor. secundum Abb. & alios Doct. ibi. Secundò verò casu non, quando matrimonium est nullum ex defectu consensus: textus est in cap. accessit de sponsalib. impub. textus in cap. vno. eodem titul. lib. 6. & facit textus in cap. cum locum de spons. textus in cap. venient. et secunda eodem titulo textus notabilis in cap. significauit, de eo qui duxit in matrim. quam polluit per adulterium.

49 Tertiò principaliter quæro, quis possit accusare de adulterio? & breuiter, & resolutiuè dico quòd maritus poterit accusare iure mariti, hoc est, cum priuilegio, & qualitate mariti, vt infra 60. dies post commissum delictum præferatur omnibus aliis accusatoribus. Item vt possit accusare sine metu calumnie. Item vt non teneatur se inscribere ad pœnam talionis: postea autem poterit accusare maritus non iure mariti, sed tanquam extraneus cum sit delictum publicum: imò tunc inter extraneos præfertur maritus: quia propensione, iure, & dolore venit ad accusandum: text. est in leg. 1. paragrapho marito. ff. ad legem Iulian. de adult. textus in leg. secunda paragrapho fin. eodem titulo textus in leg. si maritus la prima paragrapho primo, & fin. eod. titul. textus in leg. is cuius paragrapho ex Senatusconsulto, eodem titulo textus in leg. miles paragrapho sexaginta. textus melior & expressior cæteris in lege iure mariti. Codice ad leg. Iulian. de adult. cuius verba sunt, iure mariti adulterij accusare volenti sexaginta dies utiles computantur, quibus in publico eius facultas fuerit, apud quem reus vel rea postulari potest: & cum præterierint dies isti utiles, maritus quoque iure extranei agere potest, & ibi gloss. ordinar. Odofred. Petrus, Cin. Iacob. But. Bartol. Alberi. Bald. Angel. Salic. & communiter Doctores. Azo. in summ. illius titul. 1. column. numer. 5. Hodie tamen de iure nouo Codicis, hoc immutatum est, quia quilibet de populo non potest accusare, sed tantum maritus, pater, frater, patruus, & auunculus ipsius mariti, vel ipsius adulteræ: cuius ratio est ne cui libet liceat temere scèdare matrimonia text. est Imperatoris Constantini, in l. quamuis la 2. C. ad leg. Iul. de adult. & ibi notat Iacob. Butr. Cinus, Bart. Angel. Salic. & communiter Doct. licet gloss. & aliqui doct. ibi vellent quòd imò post istos coniunctos quilibet extraneus possit accusare: & pro illo text. & communi opin. est hodie, leg. 2. titul. 17. 7. part. Hodie autem de iure nostro regio nullus potest accusare, si modò sit extraneus modò coniunctus, sed solus maritus: ita disponit textus in leg. 3. titul. 7. lib. 4. for. ll. quæ in hoc communiter practicatur. Aduertendum tamen est quòd prædicta l. fori dicit quòd nullus admittitur ad accusandum, quando ipse maritus non vult accusare, nec vult quod alius accuset: ergo eo casu quo non constat

de eius contradictione, puta, quia sit absens, vel furiosus, bene posset alius accusare, saltem coniuncta persona: de quibus supra diximus & hoc casu non sit correcta dispositio text. in dict. leg. quamuis. pro qua sententia, & con. bene facit text. notat. in leg. sed & si vnus. paragrapho ait prator. cum paragrapho seq. ff. de iniur. vbi habetur quod si filiofam. sit facta iniuria, quæritur patri, & filius non potest agere si pater remittat: sed si sit absens, potest filius agere: quia præsumitur quod si esset præsens ageret & accusaret; sed hoc non obstante ego teneo contrarium, imò quòd distinctè hodie nullus possit accusare adulteros, nisi solus maritus, modo maritus taceat, modo contradicat, modo sit absens, modo præsens per rationem præ. lege fori. & præ l. quamuis. & ita compracatur. Vnum tamen est quod licet alia delicta publica non præscribantur minori spatio 20. annorum, vt in l. quarela C. de fals. tamen istud crimen præscribitur per quinque annos, & vltèrius non potest fieri accusatio: text. est in l. mariti §. præterea. & §. hoc quinquennium. ff. ad leg. Iul. de adul. text. in l. quinquennium. eod. tit. text. in l. adulter. Cod. eod. tit. & idem disponit l. 4. tit. 17. 7. par. vnde videtur dicendum quòd hodie poterit accusare infra quinque annos iure mariti, cum nullus extraneus admittatur.

Quarto principaliter quæro qualiter probetur adulterium? in quo articulo breuiter & resolutiuè dico, quod si testes fide digni deponant se vidisse eodem loco & tempore adulteros commiscentes & adulterantes, tunc verè probatur delictum. Idem tenet Rolandus consi. 50. n. 2. lib. 1. Alex. consi. 189. n. 10. lib. 6. Iulius Clar. in pract. §. adulterium. Item etiam probatur per vehementem coniecturam, & præsumptionem, puta si testes deponant se vidisse eos nudos & solos in eodem lecto iacentes licet non commiscentes: text. est capitalis & expressus in cap. ex litteris extra de præsumpt. & licet ille textus loquatur eo casu quo agitur de adulterio ciuilitè, quoad separationem thori, tamen idem est si agitur criminaliter ad pœnam. ita tenet ibi Abb. in fin. Felin. 1. col. & est de mente omnium: tenet etiam Barto. Angel. & commun. Doct. in l. 2. §. fin. ff. ad leg. Iul. de adult. Odofr. Petr. Cinus, Iacob. Butr. & commun. Doct. in Authen. Item si quis ei in fin. Cod. ad leg. Iul. de adult. Angel. de malef. in par. cheme ai 11. col. vers. visis capitulis, &c. & ibi eius additionator. Prædicta tamen procedunt & sunt vera quando adulter cognoscitur à testibus: quid tamen si non esset notus eis, & deponerent hominem esse supra fœminam quem non cognouerunt, an nihilominus probetur adulterium? & videtur quòd non: quia fortè erat maritus qui odio & inimicitia eam accusat. Item quia fortè minor non potens ad copulam. Item quia dato nomine fortè mulier potest se excusare per absentiam vel aliam causam: sed certè crederem probari adulterium cum necessaria sint probata, nec aliæ excusationes dictæ præsumuntur, & iam istum casum habui de facto.

Vaberon dtra
Ho 3. g. 5. 2

51 Quintò principaliter quæro, an maritus possit propria authoritate interficere vxorem repertam in adulterio: in quo articulo resolutiue dico quòd de iure communi maritus poterat occidere adulterum repertum in flagranti delicto, si erat vilis persona, & repertus erat in domo ipsius mariti & non in alia: textus est in *l. marito. ff. ad leg. Jul. de adult. cuius verba sunt, marito quoque adulterum vxoris sue occidere permittitur, sed non quemlibet ut patri*: nam hac lege cauetur, vt liceat viro deprehensum domi suæ non etiam socii in adulterio vxoris suæ, occidere eum. text. in *l. Gracchus. C. eo. tit. tex. in l. qui occidit. ff. ad leg. Aquil. vxorem tamen adulteram interficere non poterat: text. est in l. nec in ea. versic. idè autem. ff. ad leg. Jul. de adult. & idem expressè disponebat *lex 13. tit. 17. 7. par. pater* vetò ipsius vxoris licitè poterat interficere adulterum cuiuscunque conditionis esset, & etiam filiam adulteram, dum tamen eos simul interficiat, & non vnum sine alio: text. est in *l. patri. ff. ad leg. Jul. de adult. cuius verba sunt, patri datur ius occidendi adulterum simul cum filia quam in potestate habet. tex. in l. quod ait lex eod. tit. tex. in l. nihil. eod. tit. & idem disponebat *l. 14. tit. 7. part.* Vnum tamen est quòd si maritus excessit modum in hoc, quia occidit vxorem adulteram vel adulterum in dignitate constitutum, non tenebatur pœna mortis, & sic pœna ordinaria delicti, sed alia mitiori: quia difficillimum est iustum dolorem temperare: & idem est si pater occiderit vnum sine alio vel aliter quàm debuerit: text. est valdè notabilis in *l. si adulterium cum incestu. §. Imperatores. ff. ad leg. Jul. de adult. tex. in l. nihil. versic. sed diuus Marcus. eod. tit. tex. in l. Gracchus. C. eod. tit. tex. in l. si quis in graui. §. si maritus. ff. ad Sylla. tex. in l. 1. §. fin. ff. ad leg. Corn. de sicar. tex. no. in d. l. 14. tit. 17. 7. part.* Hodie tamen de iure nostro regio licitè & indistinctè potest maritus interficere vxorem vel sponsam de præsentì, & adulterum repertum in flagranti delicto: modò adulter sit vilis persona modò non, dum tamen non occidat vnum sine alio: ita expressè disponit *lex 2. tit. 15. lib. 8. ordin.* & ita practicatur in isto regno. Verum tamen est quòd si casu vel ex aliquo impedimento vel defensione non potuisset maritus ambos interficere, sed vnum tantum, excusaretur. argum. text. in *l. quod ait lex. §. si. ff. ad leg. Jul. de adult. tex. in l. nihil. versic. 1. eod. tit. imò quòd magis est, si sponte & ex proposito maritus vnum tantum ex eis interfecit sine alio, non teneretur pœna mortis nec ordinaria, sed alia mitiori pœna: argum. text. in d. l. si adulterium cum incestu. §. Imperatores ff. ad leg. Jul. de adult. & in *l. Gracchus eo. tit. cum simil. supra allegatis.* & in terminis ita probat text. in *l. 14. tit. 17. 7. part.* licet in contrarium videretur text. not. & expressus in *l. nihil. ibi*, nam si alterum occidit lege Cornelia reus erit: quia licet teneatur lege Cornelia, non debet puniri eadem pœna, sed mitiori, argum. text. in *l. 1. §. diuus Adrianus, ff. ad leg. Corn. de sicar. & in §. fin. eiusdem legis.****

52 Aduertendum tamen quòd videtur quòd nostra lex Regia & prædicta iura quæ permit-

tunt maritum posse occidere vxorem & adulterum in flagranti delicto, non procedant nec debeant seruari tanquam iniqua, quia præsuppono quòd omnis lex nutritiua peccati est nulla & non seruanda, vt in *cap. fin. de præscri. & in cap. erit autem lex 4. dist. & in cap. penul. & fin. de consuet. & vtrouque commu. doctor.* adèd quòd idem est si esset nutritiua peccati venialis, secundum eosdem: sed maritus qui occidit vxorem propria authoritate peccat mortaliter vt in præcepto diuino, *Non occides* & dicit gloss. sing. in *ca. inter hæc 33. quest. 2.* quam sequuntur ibi doctores: & reputat singularem Abbas in *c. 2. de homicidio, 1. colum. num. 2. idem Abb. in cap. veniens. el. 1. de sponsa. idem Abb. in c. si verò el. 1. de senten. excom. 3. col. num. 10. Ana. in c. interfecisti. de homic. Felin. in c. qua in ecclesiarum. de const. 4. colum. quia ad hoc notabiliter responde vt dixi in *l. 76. supra his ll. Tauri.**

Et in tantum est verum quòd maritus potest 53 occidere vxorem adulteram repertam in adulterio vt procedat etiam si scit prægnans, & ipse hoc bene sciret, quia impetus & dolor æcerimus eum excusat. Item etiam quia quodammodo prouocatus videtur facere ad suam defensionem ita tenet expressè Guilietm. de Cu. in *l. Imperator. l. 2. ff. de stat. homi. & ibi Bart. n. 2. Alb. 2. col. pe. q. Bald. 3. lect. in si. Ang. pe. q. num. 4.*

Nec obstat text. in *l. pregnantis ff. de pœn. 54 text. in l. Imperator. la 2. ff. de statu hom. cum simil.* vbi habetur quòd licet mulier prægnans possit condemnari ad mortem vel ad aliã pœnam corporalem, tamen eius executio suspenditur donec pariat: quia illa iura procedunt in sententia & executione iudicis, quæ debet fieri cum temperamento & iuris ordine, sed in nostro casu loquimur in executione facti & hominis in quo aliquis ordo iuris non attenditur, argum. text. in *l. quid ergo §. cum autem factum. ff. de his qui notant. infam. & ita respondent prædicti Doctores vbi supra.*

Item etiam in tantum est verum quòd po- 55 test occidere adulterum repertum in flagranti delicto vt procedat & habeat locum, etiam si sit clericus constitutus in sacris: & per hoc talis maritus non incurrit sententiam excommunicationis, ex dispositione text. in *cap. si quis suadente 17. quest. 4.* per rationem superiorem: quia iustus dolor eum excusat: Item quia prouocatus videtur facere ad suã defensionem. Item etiam quia nulla iniuria videtur fieri ecclesiæ quæ præ tendit se iniuriatam ratione ordinis clericalis: quio illud quòd licitum est respectu principalis offensi, debet esse licitum respectu alterius tertij, qui dicitur offensus in quandam consequentiam, argum. text. in *l. non solum §. quamquam ff. de iniur. text. est not. & expressus in cap. si verò, el. 1. versic. nec ille extra, de sent. excom. cuius verba sunt. nec ille compellendus est ad sedem Apostolicam venire qui in clericum cum vxore, matre, sorore, vel filia propria turpiter inuentum manus iniecerit violentas.* & ibi gloss. ord. & commu. doctor. & istam sent. & con. tenet Bald. Angel. Ioan. de Imo. & commun. moderni in *l. quid ergo §. si hæres ff. de lega. Ange. de male. in parte,*

parte, che me ai. adult. 19. colum. versi. quid si pater vel maritus: & ibi eius additionator: idem Ang. in §. 1. Instit. de his qui sunt sui, vel alieni iur. 2. col. num. 5. pro qua sen. & conc. est hodie not. lex par. in l. 3. in medio. tit. 9. par. 1.

56 Circa prædicta tamen vtiliter & necessario quæro, si maritus occidit vxorem & adulterum repertos in flagranti crimine, sed non potest probare qualiter eos inueniat adulterando: vel reperit solos, nudum cum nuda, an puniatur maritus, vel qualiter excusetur: iste est no. & quotidianus articulus: in quo breuiter & resolutiue dico, quod si tales adulteri reperiantur occisi in lecto, vel alia parte, & loco secreto & occulto, nudus cum nuda, taliter quod si ibi viui reperirentur probaretur contra eos adulterium: quod istomet casu si ibi reperiantur mortui & occisi, satis ex hoc constat & probatur eos esse repertos in flagranti, adulterio, argumento textus in c. literis. extra. de præsumpt. cum materia. Secundò pro hac senten. & con. facit, quia quando quis reperitur mortuus in aliquo loco semper præsumitur quod ibi fuit occisus, & non alibi: deinde est quod si reperiat occisus iuxta domum alicuius, est præsumptio contra dominum & habitatorem illius domus: ita probat tex. not. in l. adiles. ff. de via publica. & ibi notat Bartol. 4. not. tenet etiam & commendat Rom. in l. 1. §. si quis in villa. 1. colum. nu. 4. ff. ad Sylla. Felin. in c. fin. in fine, extra. de homi. Angel. de ma. in parte, fama. pu. præ. 17. colum. versi. quid autem si reperiat. tenet etiam & reputat singulare Iaso. in l. si quando. Codice unde vi. 8. colum. facit etiam doctrina Angel. in l. si cum exceptione. §. in hac. prope fin. ff. quod metus causa. vbi dicit quod repertus in aliquo loco in dubio præsumitur esse ciuis illius loci: tenet etiam Bald. in l. fin. Codice si a non com. iudi. fin. col. pen. q. August. de Ari. in addit. Ang. de mu. in parte, che. est quadam inquisitio. §. adit. idem Aug. in addit. Ang. in parte, de Bononia. 2. additione. Felin. in c. quoniam. de offi. ord. 1. colum. n. 3. pro quibus facit tex. in l. 1. ff. ad municip. & ibi Bar. & Doctores.

57 Tertio pro hac sent. & con. facit, quia in delictis quando tractatur de aliquo reo absolueno in dubio, semper debemus intelligere aliquid esse factum tempore & loco licito & permisso, potius quam illicito & non permisso, vt excusetur à delicto, & hoc casu dubia probatio releuat probantem, arg. tex. in l. merito. ff. pro socio. & in l. interpretatione ff. de pœnis. cum simil. per quæ iura ita expressè tenet Bart. vbi singul. loquitur, in l. non solum §. sed vt probari. 2. colum. ff. de ope. no. nun. & ibi comm. moder. præcipuè Alex. & Iaso. qui dicunt quod totus mundus sequitur illam senten. Bart. tenet etiam & commendat Abba. in c. in presentia. 3. colum. extra. de proba. idem Abb. vbi reputat sing. in ca per tuas de condi. apposi. Salic. & alij doctor. in l. matrem. Cod. de proba. Angel. de de male. & ibi eius additionator melius quam alibi in parte, de anno presentia. 4. col. versi. quid si accusator. Confirmatur etiam, quia in criminalibus probatur defensio per solas coniecturas & præsumptiones, arg. tex. in c. de præsumpt. & ibi expressè notat Innoc. Ioan. Ant. & com-

mu. Doct. Bald. vbi valdè commendat, in l. unico. Codice de confess. 1. 2. colum. n. 46. & Ias. in l. vbi vim. ff. de iustitia & iure. num. 7. & in terminis, quod in isto casu proposito excusetur maritus: tenet Paris de Puteo, licet certè non sic fundauerit, in tractatu syndicatorum, fol. 192. in parte, quia dicitur 2. columna. Si verò tales adulteri reperiantur occisi non in eodem lecto vel loco secreto & occulto nudus cum nuda, sed vestiti, & in tali loco quo si viui ibi reperirentur, non esset contra eos probatum delictum, certè non excusetur maritus, licet dicat inuenisse eos adulterando: quia tali casu non est pro eo aliqua præsumptio, pro qua sententia & conclusionem facit bonus apertus tex. in Auth. si quis ei. Codice ad legem Juliam de adult. cum materia: vbi habetur quod maritus nullo modo potest interficere vxorem, nec illum quem habet suspectum de adulterio, etiam si reperiat eos loquentes in aliquo loco suspecto, nisi præcedat trina monitio in scriptis: de quo textu latius infra proximè dicemus.

Item etiam quæro si maritus interfecit vxorem & adulterum vel aliquem eorum, non repertos in flagranti delicto, & talis maritus pro defensione & excusatione sua verè & realiter probat eos commisisse adulterium, an excusetur à pœna homicidij, vel saltem mitigetur pœna vt non possit puniri pœna ordinaria delicti, sed alia mitiori & extraordinaria pœna: & videtur quod excusetur, vt saltem non teneatur pœna ordinaria. Primò quia de iure communi quando maritus vel pater occidit vxorem, vel adulterum, vel vtrunque, præter vel contra formam traditam à lege, non punitur pœna ordinaria delicti sed mitiori & extraordinaria: textus est in l. si adulterium cum incestu. §. Imperatores ff. ad l. Iul. de adult. textus in l. nihil. versi. sed diuus Marcus eodem titulo, textus in l. Gracchus. Codice eodem titul. textus in l. si quis in graui. §. si maritus. ff. ad Sylla. textus in l. 1. §. fin. ff. ad legem Cornelianam de sica. textus in l. 14. titu. 17. 7. par. Secundò quia si ille qui est prouocatus ab alio excedat modum suæ defensionis non tenetur pœna ordinaria delicti, sed mitius punitur propter excessum: quia non videtur esse in tanta culpa qui iustum dolorem temperare non potuit.

Item quia homo intenso dolore promotus, non est in plenitudine intellectus, argumento textus in l. diuus Adrianus ff. ad legem Pompe. de patri. textus in lege prima §. quari. ff. ad Turpil. textus in l. qui cum maior. §. si libertus. ff. de bonis lib. textus in cap. olim. de resti. spolia. textus in cap. significauit de pœni. & remiss. & tenet not. Baldus in l. vt vim. ff. de insti. & iure fin. colum. & ibi Iason, & Fortunius Garcia. idem Bald. in l. 1. Codice unde vi. sexta columna, 10. quest. & ibi Cynus. Alber. Faber. & Sal. Tertio & noto, facit textus certè singul. in proposito, in l. diuus Adrianus. ff. ad legem Pompe. de patri. vbi habetur quod pater occidit filium suum in venatione, eo quod nouercam adulterabat, & non tenetur pœna mortis, tanquam parricida: sed mitius punitur: quia deportatur in insulam cuius verba sunt, diuus Adrianus infertur, cum in venatione filium suum quidam necauerat qui nouercam adulterabat in

in insulam eum deportasse quod latronis magis quam patris iure eum interfecisset. Sed his non obstantibus ego teneo contrariam sententiam, imò quòd maritus puniatur pœna ordinaria delicti tanquam homicida, nec propter hoc aliquo modo excusetur: quia verè commisit homicidium, nec potest compensare delictam vel offensam præteritam, nisi eo casu quo occiderit in flagranti crimine, vel facta denuntiatione secundùm formam text. in Authent. *si quis ei Cod. ad l. Jul. de adult. & ibi commun. Doct.* Et confirmator, quia si quis intulit alteri vulnus, vel fecit gravem iniuriam & offensam, & postea ex intervallo occidatur ab offenso, nihilominus teneretur pœna ordinaria, nec excusaretur propter offensam priùs receptam, nisi in continenti causa defensionis fecisset, argum. text. in l. 1. & per totum. ff. ad legem Cornel. de sica. in l. 1. & in l. is qui aggressorem. & per totum. C. eod. tit. Nec obstat primum fundamentum, in quo dicebamus, quòd quando maritus vel pater occidit adulteros præter formam traditam à lege mitiùs punitur: quia respondeo quòd illud est verum quando reperiuntur in flagranti delicto: non verò aliàs. Secundò non obstat secundum fundamentum, in quo dicebamus, quòd si provocatus excedit modum defensionis, non tenetur via ordinaria: quia similiter debet intelligi, quando in continenti tempore latæ iniuriæ excessit modum defensionis.

59 Tertiò non obstat text. fortissimus & terribilis in l. D. Adrianus. ff. ad leg. Pomp. de parric. quia respondeo tripliciter. Primo modo quòd loquatur in patre qui de iure antiquissimo poterat licitè & impunè occidere filium, ut in l. in suis. ff. de libe. & posthu. Sed ista solutio non satisfacit nec est tenenda, quia illud de iure antiquissimo ante legem Pompe. de parr. de qua loquitur text. in d. l. diuus Adrian. Vel aliter & secundo dicamus, quòd in casu illius text. pater inuenit filium adulterando nouercam, & si in flagranti crimine: & ita tenet & declarat ibi Hippolyt. de Mar. & ante eum Paul. de Castr. in l. in suis. ff. de liber. & posthu. 1. col. in fi. sed ista solu. similiter non est vera nec satisfacit: quia nõ est verisimile, quòd in venatione plures solent congregari, filius adulterasset nouercã: & sic necessariò inferitur quòd loquitur de adulterio antea cõmissò: & iste est sensus gloss. ordin. Bartol. Alb. & cõm. Docto. ibi. vel aliter & tertiò dicamus, quòd ille tex. loquatur in patre qui habet maximã potestatem & correctionem in filium, & ex causa & offensa etiam præterita & antecedenti potest filium punire: & licet occidat, & modum excedat, vel apertè & deliberarè voluit occidere, non tenetur nec punitur pœna ordinaria, sed minori: ut ibi dicit text. & iste sit eius verus, nouus & subtilis intellectus, vnde secus est in matito vel aliis personis: & licet maritus & aliæ personæ habeant aliquã correctionem & vindictam in vxorem vel subditos, ut in l. vn. C. de emen. pronin. illa est vel de moderata, & non ita permissa sicut in patre.

60 Item etiam quæro an maritus possit inter-

ficere illum quem habet suspectum de adulterio: si reperiat eum alloquentem cum sua vxore, & in propria domo vel alio loco secreto? in quo breuiter & resolutiùe dico, quòd si talis maritus priùs ei ter in scriptis denuntiauerat sub præsentia trium testium fide dignorum ne cum vxore sua loquatur, & postea inueniat eum cum ea loquentem in domo vel loco secreto, licitè poterit eum occidere: aliàs verò non. textus est Authent. *si quis ei. Cod. ad legem Jul. de adul.* cuius verba sunt, *si quis ei quem suspectum habet de sua vxore ter in scriptis denuntiauerit sub presentia trium testium fide dignorũ, & postea inuenit eum conuenientè vxori suæ in domo sua vel vxoris, vel adulteri, vel in popina: siue in prouincia, aut in suburbanis, sine periculo eum perimat.* & ibi notat & commendat gloss. ordin. Odofredus, Cyn. & commu. doct. Azo. in summa illius tit. fi. col. num. 21. text. in Auth. *ut liceat matri & auia. §. his quoque. colla. 8. gl. ordi.* Iacob. de Bellouiso. Bart. Ang. & comm. docto. & idem disponit. *lex 1 2. ti. 17. 7. part.* adde tamè quòd quælibet denuntiatione debet fieri post suã alloquutionem, taliter quòd pro forma debent esse tres alloquutiones, & tres denuntiationes: vnde non sufficit quòd postquam maritus eum habet suspectum simpliciter ei ter denunciât: & in expresso ita tenet & declarat solus Iacob. de Bellouiso, in d. Auth. *liceat matri & auia. §. his quoque. colla. 8. 2. colu. 3. oppo.* in quantum dicit quòd ista iura procedunt ex vehementi præsumptione & odio ipsius suspecti & contumacis: quia quatuor vicibus eum inuenit cum vxore. Sed certè prædicta iura hoc non requirunt, imò simpliciter & indistinctè dicunt, quòd si maritus habet suspectum aliquè de vxore sua potest ei ter denunciare in scriptis: & si postea sprete tam solenni denuntiatione reperiat eum cum vxore alloquentem possit interficere: & iste est sensus omnium doctorum & prædictæ legis partitæ. Item adde quòd in his denuntiationibus debet interuenire Tabellio, cum iura dicant quòd fiant in scriptis: ita solus Odofre. in dicta Authent. *si quis ei.* sed ego crederem contrarium. arg. text. in l. scripturas. C. qui potio in pign. ha. & in Auth. *sed noui iur. C. si cert. petat. & in leg. contractus. Cod. de fide instrument.* vbi habetur quòd actus vel contractus potest dici & fieri in scriptis cum debita solennitate, licet in eo non interueniat Tabellio, maxime in hoc casu quo tractatur de defensione.

61 Item etiam quæro, an in casibus in quibus maritus potest vxorem suam & adulterum interficere, possit alteri committere vel demandare istud ius vindictæ? in quo articulo resolutiùe dico, quòd ius vindictæ est adeò personalissimum, quòd non potest alteri committi seu demandari, etiam si maritus sit senex, debilis, vel infirmus. argum. text. in l. seruus si heredi. ff. de statu. liber. text. in l. unica. §. ne autem. C. de caduc. tollen. tex. in leg. pen. §. 1. ff. de diuers. & tempor. præscr. & in expresso istam sentent. & conclu. probat text. per locum ab speciali in l. Gracchus. vers. scil. denique. C. ad leg. Jul. de adulter. vbi dicitur quòd soli filio potest maritus hoc committere vel de mandare propter

propter identitatem personarum : ergo non alteri: cuius verba sunt, *denique filiis eius qui patri paruerunt, praestandum est,* & ibi notat & commendat Odofred. Cynus, Bald. Ange. Salyc. & commun. docto. & illum text. ad hoc expressè notat & commendat Batt. *in lege non solum. paragrapho si mandato. secunda columna numero quinto Digestis de iniuriis.* Salyc. *in lege non ideò minus, Codice de accusa. tertia columna. numero 10.* Alex. Iaso. & alij moderni *in lege. paragrapho si. Digestis de oper. no. nun. Hippol. in lege unica Codice de rap. virg. 2. colum. num. 3.* Felin. *in ca. si verò. el. 1. 2. col. de sent. excomm. idem Feli. in capite qua in ecclesiarum. de constit. 4. colum. in fin. & in expresso istam sentent. & conclu. tenet gloss. singul. & vnica. in lege cum fundum. in verbo, postea. in fine. Digestis de vi & vi arma. quam ad hoc dixit singul. & vnicam Bald. in capit. ad nostram. 2. colum. numero secundo de probat. idem Bald. in cap. fin. de iura. calum. 1. col. in fine. notat etiam & commendat idem Bald. in cap. literis de appella. fin. col. num. 23. idem Bald. in capite de catero. 2. colum. numero 4. de re iudicata. idem Bald. in l. accusationis, in fine. Codice de accus. idem Bald. in l. 1. C. unde vi. antepen. colum. numero 46. idem Bald. in capite primo paragrapho 1. 2. column. numero tertio de pace tenen. & iuram. fir. in vsib. feu. idem Bald. in lege ad officium. colu. & qu. C. com. diui. Paul. de Cast. in lege si cum dotem. paragrapho transgrediamur. 1. column. in fi. Digestis sol. ma. & ibi Alex. 3. col. nu. 10. Roman. in l. si quis in graui. §. si maritus. ff. ad Sylla. Ioan. de Ana. in c. 2. si. col. & q. de homin. Ange. de Ma. in par. che me ai adul. 20. col. vers. an maritus. Iaso notabiliter in l. 1. §. si. 3. col. ff. de ope. no. nun.*

62 Vnum tamen est quod talis inatitus potest secum adducere amicos vel familiares vt eum adiuuent, & commodius & tutius possit facere vindictam, & maximè sit sit senex, infirmus vel debilis persona, & timet ne fortè inueniat resistantiam, arg. tex. in l. 2. de iur. omn. ind. text. in l. si. ff. de offic. eius cui manda. est iuris. text. in l. 3. §. qui habet. ff. de ser. rust. pra. text. in l. 3. §. fin. in fi. ff. de penu. leg. text. in l. legatis. ff. de aliment. leg. textus in cap. praterea. de offic. deleg. text. in cap. suspitionis. eodem tit. quibus probatur quòd commisso vel delegato aliquo actu, videntur omnia commissa, sine quibus ille actus exerceri non posset: & ex isto fundamento & ratione istam sent. & con. tenet Paul. de Castr. in l. refectiois. ff. commun. pra. Bald. in l. ut vim. ff. de iusti. & iur. 3. col. 6. q. idem Bald. in ca. si. de in. calum. Ias. vbi reputat hoc esse not. in l. 1. §. si. ff. de ope. no. nu. idem Ias. in l. 2. 2. col. nu. 4. ff. de in. om. in Cæpo. vbi dicit ita obtinuisse in qu. de facto. in tract. de ser. vrba. predio. c. 23. 2. col. nu. 6. Hippo. de Mar. in l. vn. C. de rapt. vir. 3. col. n. 1.

63 Item quæro, an maritus occidens vxorem propria autoritate lucretur dotem, & alia bona quæ acquireret si via iuris ordinaria eam accusaret? & magistraliter & resolutiuè dico quòd non. Primò quia de iure communi propter adulterium mulier non perdit dotem, nec alia bona, vt supra dictum est. Secundò quia maritus propter adulterium non potest interficere vxorem? ergo non debet aliquid acqui-

tere ex suo facto & delicto culpabili. Tertid quia per mortem vxoris etiam si naturaliter contingeret, statim ipso iure extingueretur delictum & eius pœna, tam respectu personæ quam bonorum, vt in l. defuncto. ff. de pub. iud. & in l. 1. & per tot. C. si reus vel accusator mortuus fuerit. & in expresso istam sent. & con. probat & fundat text. in l. si ab hostib. §. 1. ff. sol. matr. cuius verba sunt, *si vir vxorem suam occiderit, dotis actionem heredibus vxoris dandam esse Proculus ait: & rectè: non enim equum est vtrum ob facinus suum dotem sperare lucrificari: idemque & è contrario statuendum est.* & ibi not. & con. gloss. ord. & com. do. Sed aduertendum quòd ille tex. loquitur de iure communi, quo non licebat marito interficere vxorem, etiam repertam in adulterio: vnde secus videtur esse in casu quo iure sibi liceret. Ex quo videtur inferendum quòd cum in nostro regno licitè possit maritus vxorem suam & adulterum interficere, vt in predicta l. fori & ordin. supra allegatis: quod similiter lucrabitur bona eorum ac si via iuris eos accusaret: & in expresso ita probat tex. à contrario sensu iuncta glo. ord. in d. l. si ab hostib. §. 1. ff. solu. matr. & ibi notabiliter Batt. 2. col. si. qu. Ang. de Peru. 2. col. n. 3. Ias. 2. col. in fi. n. 1. Lancel. Dec. 1. col. in fi. Christophor. de Niellis, quem ipse refert. Pro qua sent. & conclu. facit text. in l. qui seruum. ff. de ver. obligat. vbi habetur quòd si debitor ex iusta causa occiderit seruum promissum, quia repertus est in adulterio cum vxore, vel aliàs: non tenetur ex contractua æstimationem, vel interesse, vel ad aliquam pœnam, cuius verba sunt, *qui seruum mihi ex stipulatu debebat si in facinore eum deprehenderit impunè eum occidit: nec utilis actio erit in eum constituenda* textus in l. quid ergo. §. si haeres. ff. de l. 1. textus in l. eleganter. §. si. ff. de pign. actio. Sed his non obstantibus contraria sentent. & con. est verior, & tenenda: imò quòd hoc casu maritus non lucretur bona vxoris nec adulteri, tali fundamento & ratione: quia quando quis propria autoritate ius sibi dicit, amittit lucrum legale: text. est sing. & vnicus in iure in l. interdum. la 2. §. qui furem. ff. de fur. vbi ille qui propria autoritate capit furem, & ducit eum ad iudicem, bene recuperat rem: sed amittit pœnam dupli vel quadrupli à iure inductam pro furto, & ad hoc illum tex. in suo casu notat & commendat ibi Batt. Alb. & Doct. & eum dicit ibi peregrinum & vnicum Ang. de Peru. & ad hoc illum tex. reputat sing. & vnicum Ioan. de Imo. in d. l. si ab hostib. §. 1. ff. solut. matr. & isto fundamento & ratione istam sent. & con. tenet Bal. in d. l. si ab hostib. §. 1. ff. sol. matr. 1. col. in fi. & ibi Ioa. de Imo. Pau. de Cast. 2. col. in fi. Rom. si. col. n. 21. Alex. 3. col. in fin. n. 15. & magis com. Doct. Ioannes Campe. in tractat. dotis. §. par. & §. q. Pro qua sent. & conclusione est hodie expressa lex nostra Tauri 82. quæ hoc formaliter disponit & determinat. Ex quibus inferitur quòd tam de iure communi quàm regio talis maritus qui propria autoritate occidit vxorem propter adulterium, non potest lucrari bona vxoris quæ ex aliquo pacto vel lege pet mortem eius sibi deferuntur: ita probat text. in d. l. si ab hostib. §. 1. ff. solut. matr. & ibi notant comm. Doct.

Dubium

64 Dubium tamen est circa hoc satis nouum & singulare, si talis maritus qui propria auctoritate interfecit vxorem & adulterum re-
pertos in adulterio, possit succedere filiis vel hæredibus eorum ab intestato in bonis habi-
tis ab eis: & videtur quod non: imò quod si-
co applicentur. arg. text. gloss. & commun.
opin. in l. Lucius. Digestis de iur. fis. & in lege
cum ratio. paragrapho si. Digestis de hon. damn.
& eorum quæ latè dixi in materia delictorum
in delicto homicidij. Sed ego teneo contrarium,
imò quod benè possit eis succedere: quia illa
iura procedunt, quando iustè & sine causa
quis alium interfecisset: noster verò casus lo-
quitur quando maritus licitè & iustè fecit: vn-
de licet priuetur à successione ipsius interfe-
cti, non tamen hæredum.

65 Item quæro, si vxor alicuius requisita ab
aliquo de adulterio committendo reuelauit
marito suo an possit licitè requirentem deci-
pere, & dicere vt veniant secretè in domum
suam, & ibi eum verberare & iniuriam inferre
& breuiter dico quod sic, arg. text. in l. si quis
seruo persuasit. Cod. de furt. vbi habetur quod
si seruus requisitus ab aliquo de furto com-
mittendo, & ipse domino suo nuntiauit, &
permisit vt aliqua res perferret in domum
eius: qui persuasit tenetur tam de actione fur-
ti, quàm serui corrupti: & per illum text. istam
sent. & con. tenet ibi Paul. de Castr. 1. column.
& 1. notabili. & ibi Iacob. de S. Georg. Palat.
Ruu. in sua repetit. fol. 73. 1. column. paragra-
pho 29.

66 Ex quo text. infert etiam ibi Ang. de Peru.
quod si Castellanus vel custos alicuius castri
vel fortalitij sit requisitus vel inuitatus ab
alio, vt recipiat pecuniam vel dona, & castrum
vel fortalitium sibi tradat, & hoc reuelauerit
domino, licitè poterit eum decipere, & dicere
vt certo tempore veniat, & eum punire vel ali-
qua iniuria eum afficere: & idem tenet ibi
Paul. & Iaco. de S. Geor. idem, Ang. in l. quicum-
que. Codice de seru. fugi. 2. col. in med. Item etiam
infertur, quod si iudex sit requisitus ab aliquo
litigante, vt pecuniam recipiat & pro se fetat
sententiam, vel iniustitiam faciat, potest ei
præbere aures, & dicere & fingere, vt veniat
tali die & hora, & ibi secretè habere testes qui
videant & audiant, & postea eum capere &
punire: ita Palat. Ruu. vbi supra. Intelligerem
tamen supra dicta, quod possit maritus vel al-
ter verberare vel aliam iniuriam sibi inferre:
non verò eum occidere, vel membrum incide-
re: quia non est moderata defensio. Item quia
non sequitur delictum.

68 Item quæro, si maritus iam decessit, & mu-
lier petat dotem ab hæredibus, an possint hæ-
redes opponere adulterio in vita mariti com-
missio: ad eam excludendam, & breuiter dico,
quod non: modò maritus sciuerit adulterium
esse commissum modo ignouerit: qui est accu-
satio vel exceptio tendens ad metam vindi-
ctam, sicut actio iniuriarum vel pœnalis, & ideo
non transmittitur ad hæredes ante litem con-
testatam, arg. text. in lege prima paragrapho hæ-
redes, Digestis de priua. delict. text. in l. iniuria-
rum actio. la prima. Digestis de iniu. text. in l.
quod diximus, paragrapho hac actio. Digestis

quod metus causa. text. in lege hac actio. ff. de ca-
lumniato. text. in lege si vero hac autem actio. Di-
gestis. de his qui deiecc. vel effu. text. in l. inde
Neratus, paragrapho si infans, ver. hanc actio-
nem. Digestis ad leg. Aquiliam. text. in l. vna. Co-
dice ex delict. defun. text. in lege si. Codice de re-
uoc. don. text. in lege omni modo. versic. nam si
nullam. Codice de inoff. test. text. in §. non autem
omnes. Instit. de perp. & temp. act. & in expresso
istam sen. & con. probat text. iuncta gl. or. in
lege rei iudicata. paragrapho primo in fi. Dige-
stis sol. mat. & ibi tenet notabiliter Bal. Pau. de
Cast. Ioa. de Imol. Alex. & magis comm. doct.
tenent etiam doct. Canonistæ in capite ple-
runque. de donat. int. vir. & vx. præcipue Præ-
pos. 1. col. numero 2. Ang. de mal. & ibi eius ad-
ditionat. in par. che me ai adulterato. 6. col. ver.
quid si maritus.

Item quæro quid econtra, si vxor adultera
decedat, & maritus superuiuat, & hæredes
vxoris repetant dotem, an possit maritus op-
ponere exceptionem de adulterio, & eos repel-
lere, & videtur quod sic: ita probat text. in lege
si. Codice de adul. Sed contrarium est tenen-
dum, imò quod talis maritus non possit præ-
dictam exceptionem opponere: quia post mor-
tem vxoris vel alterius delinquentis ante li-
tem contestatam extincta est pœna corporalis
& pecuniaria: text. in lege defuncto. Digestis de
publ. iudic. text. in l. ex iudiciorum. ver. si. de ac-
cus. text. in l. vna. Codice ex delictis defunctorum.
text. in paragrapho non autem. in fi. Instit. de per-
pe. & temp. act. text. in l. 25. tit. 7. part. nec obstat
text. in d. l. si. Codice de adulter. quia debet in-
telligi quando vxor decessit, postquam factum
erat diuortium inter eos, vel lite iam mota su-
per eo: secus verò si antè decesserit: quia tunc
non poterit maritus agere, nec excipere de
de adulterio, & in expresso ita tenet & declarat
gl. ord. in dicta lege. si. Codice de adul. in gl. pen.
& ibi Bal. Saly. & magis comm. doct. Odo. in
lege consensu. C. de repu. pen. col. & questione &
ibi Albe. 1. col. in medio, etiam tenet Alex. in d.
lege rei iudicata, paragrapho primo secunda co-
lum. in medio, vers. quid si mulier. & ibi com-
modet.

Item quæro si mulier vidua soluto matri-
monio habuit accessum ad alium, & sic com-
misit stuprum, an perdat dotem, & applicetur
hæredibus mariti, & videtur quod sic: quia mu-
lier vidua quæ non transit ad secunda vota
dicitur remanere durare in primo matrimonio,
& gaudet priuilegiis primi mariti: text. est in le-
ge si. C. de bon. matern. ibi, siue in priore matrimo-
nio pater, ex quo filios habuit, permanere voluerit,
& c. & ibi notat Cyn. Bart. & alij doct. text.
in lege filij. paragrapho vidua. Digestis ad muni-
cip. & ibi gl. & comm. doct. text. in lege quo-
ries. C. de priuileg. Scholarum, lib. 12. facit etiam
text. in l. pen. C. de adul. & ibi Bart. & Doct. &
in expresso isto fundamento & consideratione
istam sententiam & conclusionem tenet Paul.
de Castr. in lege sororem. Codice de his quib. vt
indig. 1. col. numero quarto idem Pau. de Castr.
in lege fideicommissum. Codice de fideicommiss. 2.
col. in fin. tenet etiam, & reputat singul. las. in
lege 2. Digestis solur. matrim. secundo numero 6.
August. de Ari. in addit. ad Angel. de male. in
parte,

parte, che me ai adulterato. 6. col. ver. quid si maritus, Hippolytus de Marfil. latè & no. in l. unic. C. de rapt. virg. 11. col. n. 48. idem Hippol. in cons. su. cons. 13. Felin. in c. pastoralis. de ind. 3. col. in med. Præpos. in c. plerunque. de do. int. vir. & uxo. 2. col. n. 3. Pala. Ruui. in sua repet. fo. 48. 1. col. ver. ex quo dicebat, & fol. 60. 1. col. ver. & quod plus est, Cifuentes in l. 14. super his ll. Tauri. 2. q. licet dicat quòd opi. contraria est magis fauorabilis. Aduertendum tamen quòd ista sententia & concl. videtur intelligenda & limitanda, quando talis mulier fecisset stuprum infra annum luctus: quia tunc magis proprie dicitur durare primum matrimonium, arg. text. iuncta gl. ord. in l. vn. §. exactio. C. de rei uxo. actio. & in toto tit. C. de secund. nupt. Item etiam & secundò videtur intelligenda & limitanda quando dos non esset soluta mulieri, sed esset penes hæredes mariti, & ab eis repeteretur: quia tunc ipsi possunt excipere de tali stupro per eam commissio: cuius ratio potest esse, quia quando iam est recuperata per mulierem, amplius non dicitur dos: sed si ita demum si non est recuperata, arg. text. in l. cum pater. §. dotale. ff. de l. 2. & in l. etiam. ff. de fundo dotali. Sed his non obstantibus ego teneo contrariam sententiam: imò quòd indistinctè talis mulier vidua non perdat dotem propter stuprum commissum in viduitate, modò infra annum luctus modò postea. Item modò dos sit iam recuperata, modò sit penes hæredes mariti. Primò, quia adulterium & eius pœna proprie & verè dicitur matrimonio durante, non verò postea: sed postea in viduitate dicitur stuprum, & habet locum eius pœna distincta. Secundò quia si mulier commisit adulterium in vita mariti, non possunt hæredes contra eam agere per viam accusationis, vel exceptionis, quia est ius vindictæ quòd non transit ad hæredes, vt supra proximè conclusum est: ergo à fortiori non possunt contra eam agere, vel excipere pro stupro postea commissio in viduitate. Tertio hoc clarius confirmatur per ll. Regias, quibus probatur, quòd nullus habet facultatem accusandi de adulterio nisi solus maritus: & in expresso, licet non ita fundent, istam sententiam & conclusionem tenet Alex. in d. l. sororem. C. de his qui vt indig. 1. col. in medio. vers. item facit. Ial. in d. l. fideicommissum. C. de fideicom. n. 1.

71 Item quæto quas excusationes habet vxor adultera, vt possit se defendere à pœna adulterij. Et breuiter & resolutiue dico quòd habet sequentes excusationes. Prima est si lapsus est quinquennium à tempore commissi delicti: textus est in l. mariti. §. praterea. ff. de adulter. textus in §. hoc quinquennium. eiusdem leg. textus in l. quinquennium. eodem tit. textus in l. adulter post quinquennium. C. de adul. cuius verba sunt, adulter post quinquennium quàm commissum adulterium dicitur, quod continuum numeratur, accusari non potest. text. in l. 4. tit. 17. 7. part. Secunda est si adulterium commissum est de voluntate & consensu mariti: textus est in l. cum mulier. ff. solut. matr. & ibi gloss. ordin. Bart. & commu. Ant. Gomez ad Leg. Tauri.

Doctores. Quod intellige quando talis exceptio opponitur ante litem contestatam: secus verò si post: quia non reuelat vxorem, licet faciat puniri maritum: si verò opponatur ab adultero ante lit. contestat. prodest vt excusetur, postea verò non excusatur, nec facit puniri maritum: textus est in l. 2. §. publico. ff. de adulter. & ibi tenet & declarat gl. ordin. Bartol. & commun. docto. text. in l. si maritus, §. prescriptiones, eodem titulo. textus in l. ita nobis cordi pudor est. C. de adulter. & ibi gl. & comm. Doct. & ita expressè disponit & determinat l. 7. tit. 17. 7. part. Tertia est si post commissum adulterium maritus habuit & retinuit vxorem adulteram in sua domo, vel lecto, & mensa scienter, non verò aliàs: quia per hoc videtur remittere prædictum adulterium vxori: ita probat text. not. in l. si vxor. §. fin. ff. de adulter. & ibi communiter doctores: text. not. in l. sine metu. in fine. C. de adulter. & ibi gl. ord. & communiter doctores, facit text. in cap. quemadmodum, de iureiurando. & in expresso per ista iura ita tenet Alb. in l. consensu. C. de repu. 1. col. in fin. versic. vt ultimo nosandum. pro qua sententia & con. est lex. nota. par. 8. tit. 17. 7. part. & l. 5. tit. 7. libro. 4. foro ll. Aduertendum tamen quòd prædictas excusationes vel alias similes quas habet vxor debet proponere ante litem contestatam, non verò postea: text. est in l. si maritus la 2. §. prescriptiones. ff. de adulter. cuius verba sunt, prescriptiones qua obici solent accusantibus adulterij ante solent tractari quàm quis inter eos recipiatur. & ibi gl. ordin. Bart. & comm. doct. text. in l. 2. §. si publico, eodem titulo. & ibi Bart. & doct. text. in l. adulter post quinquennium. C. eodem tit. & ibi notabiliter Salycet. & Doctor.

72 Item quæto an maritus teneatur adulterum & adulteram simul accusare, vel possit vnum eorum quem velit accusare? Et resolutiue dico quòd de iure communi maritus non poterat eos simul accusare, sed vnum tantum eorum quem vellet: text. est in l. si maritus. la 2. §. fin. versic. fin. ff. de adult. text. in l. nihil. §. fin. eodem titulo, text. in l. vim passam. §. duos. eodem titulo, text. in leg. reos. C. de adult. cuius verba sunt, reos adulterij duos simul marem & foeminam ex eadem causa fieri lex Iulia de pudicitia vetat: sed ordine peragi utrosque licet, & ibi vide rationes per Salycetum, & doctores. Hodie tamen in nostro Regno maritus potest accusare ambos simul, vel vnum eorum quem velit: ita probat & disponit lex. 2. tit. 15. libro. 8. ord. ibi dum dicit: T si los accusare ambos, o qualquier dellos, que aquel contra quien fuere juzgado, que lo metan en su poder, y haga del y de sus bienes lo que quisiere Postea autem de iure Regio nouissimo per nostras leges Tauri statutum est quòd maritus teneatur vtrunque simul accusare, & non possit vnum sine alio: ita disponit lex 80. his ll. Tauri. Quod tamen intellige vt debeat eos simul accusare in vno eodemque libello, vel diuersis, dum tamen faciat vno eodemque tempore, argumento huius l. & rationis eius, & tenet hic Castillo. Sed certè mihi videtur contrarium, imò

quod in vno eodemque libello debeat accusare: quia aliàs resultaret diuersitas & incoherens in accusando, procedendo, & exequendo. Item intellige quando vterque viuat: secus verò altero mortuo, quia nunc superstes potest accusari: ita etiã apertè probat illa l. in quantum dicit, *siendo viuos*. Ex quo inferitur quod si vterque viuat & maritus vni parcat, videtur etiã alteri remittere delictum, argumento illius legis. Vnum tamen est quod eo casu quo de iure communi accusaret vnum eorum tantum, sententia absolutoria eius fauore lata prodest alteri, condemnatoria vero non: text. est nota. & expressus in l. *donnantiasse*. §. *final*. ff. *de adulte*. ibi, *si absolutus fuerit, mulier per eum vincet, nec ultra accusari potest: si condemnatus fuerit mulier per eum non est condemnata, sed agat causam suam, ut fortassis & obtinere vel gratia, vel iustitia, vel legis auxilio possit*, & ibi glossa ordinaria. Bartolus & communiter Doctores, & idem disponit lex. 9. tit. 17. 7. *paris*. Ex quo singu. nota quod in delictis connexis, sententia absolutoria lata fauore vnius, prodest alteri: sed adde quod hoc est speciale in delicto adulterij propter fauorem matrimonij: secus vero est in aliis: quia in eis sententia absolutoria lata pro vno non prodest aliis: ita probat text. in l. *adult*. *versu*. *si eo tempore*. ff. *de adulteriis*. & in expresso ita tenet & declarat ibi Bartolus & communiter Doctores, & istam dicit communem opinionem Alex. in l. *sape*. ff. *de re iud*. 10. col. n. 36.

73 Item quæro quæ sit pœna lenocinij in quo breuiter dico, quod si maritus commisit istud crimen, punitur eadem pœna quæ est imposita pro adulterio. ita probat text. in lege secunda paragrapho lenocinij, *Digestis de adulteriis*. ibi. *pœna adulterij configitur*. text. in paragrapho *si publico*. eiusdem legis, text. in l. *mariti*. paragrapho *plectitur*. eodem sit. text. in l. *castitati*. Codice *de adult*. text. in lege *de crimine*. ver. *si*. eodem tit. text. in lege *mercalem*. C. *de conditio*. *ob turpem caus*. text. melior ceteris in lege *auxilium*. paragrapho *in delictis*. *versic*. *dixi*. *Digestis de minori*. Hodie tamen videtur quod ista pœna non possit habere locum: nam cum de iure Regio pœna adulterij sit, quod vterque tam adulter quam adultera ponatur in potestatem mariti, vt de eis & eius bonis faciat quicquid velit, ista pœna non potest in nostro casu verificari, cum non repetiatur offensus in cuius facultate ponatur, & ideo fortè in nostro Regno solet practicari quod tam marito quam vxori imponatur pœna flagellorum. Sed certè illa pœna est irridenda pro tali nefando crimine: vnde teneo quod isto casu debeat imponi pœna mortis.

Primo quia ista erat pœna adulterij de iure communi, vt in lege *quamuis*, la *segunda*. in *fin*. Codice *de adulteriis*. & latè dixi supra. Secundo quia pro hoc est casus expressus in l. 2. in *fin*. tit. *vigesimo* 2. *par*. 7. quæ apertè dicit quod isto casu imponatur marito pœna mortis, & per eam ita tenet Palat. Ru. vbi exclamat de isto delicto, & de iudicibus qui

illam legem non seruant in practica, in sua repetitione. fol. 65. col. 3. *versiculo*, sed si tanta est notorietas. §. 21. Si vero alius comisit istud crimen, sine masculus siue femina contra aliquam mulierem coniugatam, virginem, viduam, religiosam, vel honestam: similiter punitur pœna mortis: ita probat text. in l. *qui domum*. ff. *de adult*. text. in l. *mariti*. §. *plectitur*. eod. tit. cuius verba sunt, *plectitur, & qui pretium pro comperto stupro acceperit: nec interest vtrum maritus sit qui acceperit, an alius quilibet: quicumque enim ob conscientiam stupri acceperit aliquid, pœna erit plectendus*. text. expressior & melior ceteris in *anth*. de *lenonibus*. §. *preconizamus*, ibi, *omnia nouissima sustinere supplicia*. collatio. 3. & notant communiter doct. & idem disponit prædicta lex part. in *fine*.

74 Quod tamen limita & intellige quando adulterium vel stuprum fuit sequutum & consummatum: secus vero aliàs: quia tunc mitius punitetur, & sic pœna arbitraria ita probat probat text. valde notabilis in l. *prima* paragrapho *fin*. ff. *de extraordinariis criminibus*. cuius verba sunt, *aut mulierem puellamve interpellauerit, quidve impudicitia gratia fecerit, donum prabuerit, pretiumve quo is persuaderet, dederit, perfecto flagitio, punitur cap. imperfecto, in insulam deportatur*. & idè probat lex 7. tit. 10. *libr*. 2. *foro* 11. si vero hoc delictum committatur contra aliã mulierẽ non coniugatam nec honestã, tunc imponeretur pœna arbitraria, modo sequatur & consumetur delictum, modo non: argumento prædictorum iurium. Item etiã adde quod etiã ille qui misit prædictum lenonem vel intercessorem alicui honestæ mulieri, committit crimen iniuriarum, licet delictum attentatum non sequatur, & punitur extra ordinem iudicis arbitrio: vel argument. textus in dicta l. 1. paragrapho *fin*. *Digestis de extraord. criminibus*. text. in lege *prima* paragrapho *omnem*. ff. *de iniur*. textus in l. *sed est questionis*. paragrapho *fin*. eodem tit. textus in l. *attentari*. eodem tit. text. in l. *item apud Labeonem*. paragrapho *si quis virgines*. eodem titulo. textus in paragrapho *iniuriarum*. in *fin*. *Inst*. eodem titulo. text. in l. 5. tit. 9. 7. *par*. Nota igitur pœnam lenocinij contra committentem vel inducentem mulierem nuptam, vt adulterium committat: nam si adulterium fuerit perpetratum perfectè & consummatè punitur pœna mortis, sin minus pœna arbitraria punitur: de consuet. tamen huius regni lenones, vel lenæ, flagellantur cum mitra, vt tradit Auenda. in c. *pratorum secunda* part. cap. 16. numero 15. Iulius Clarus in *practica criminali* §. *fin*. q. 68. n. 23.

75 Postremò & finaliter quæro: si mulier coniugata habet filium ex adulterio, de quo ipsa est bene certa, maritus autem hoc ignorat & tractat eum vt filium, & ei intendit bona sua relinquere prout patris est officium, quid faciet talis mulier in conscientia? In quo articulo breuiter & resolutiue dico, quod in casu dubio quando mulier adultera hoc non potest cognoscere, quia constante matrimonio promiscuè & sine

maximo,

maximo interuallo habuit accessum cum marito & cum adultero, filius natus præsumitur esse mariti, & non alterius: vnde tam in conscientia quàm in iustitia mulier est secuta, argumento textus, in *l. miles. §. defuncto. in fin. ff. de adulter.* vbi expressè habetur, quòd filius natus constante matrimonio ex muliere coniugata præsumitur esse legitimus: dato casu quòd probetur illo tempore esse adultera: cuius verba sunt: *cum possit & illa adultera esse, & impubes defunctum patrem habuisse.* & ad hoc notat & commendat ibi Angelus de Peru. & alij Doctores: & illum text. ad hoc reputat singular. & vnicum idem Angelus in *l. septimo mense. ff. de statu hominum.* reputat etiam singular. & vnicum Bald. in *l. si matre. 1. col. numero 2. Cod. de suis & legi. hered.* not. etiam commendat idem Baldus, in *l. filium eum definimus. 1. lectio. 2. columna, in fine. Digestis de his qui sunt sui vel alieni iur.* idem Bald. in *lege si vicinis. Cod. de nup.* idem Bald. in *rubr. Cod. de prob. fin. columna.* idem Bald. in *lege secunda Codice de commun. seruo manu.* idem Baldus in *l. prima Codice qui accus. non poss. 11. columna numero 52. Pau. de Cast. in lege tertia Digestis de libe. & posthum. 2. columna numero tertio Abbas Panor. in cap. penult. 2. column. numero 7 de adult. & ibi Bald. & communiter alij doctores. idem Abb. in *capit. per tuas, 1. colum. in fine de proba.* idem Abbas in *capit. transmissa. 2. colum. nu. 9. qui filij sint leg.* Hippolytus de Matiliis in *lege prima paragrafo ad questio. penultim. 1. colum. nume. 20. ff. de questio. Palat. Ruu. in sua repetitione. capit. per vestras. de dona. inter vir. & vxor. 35. fol. 2. colum. n. 12. Pro qua sententia & conclu. facit text. not. in lege nona titul. decimo quarto tertia part. si verò talis mulier bene est certa quòd filius est natus ex adulterio, tunc si potest sine periculo hoc filio reuelare, faciat, & inducat eum vt ingrediatur ordinem Fratrum mendicantium, & ibi profiteatur, vt marito non possit succedere, vel si remaneat in seculo, quòd repudiet hæreditatem: si verò non audet hoc reuelare, vel dato quòd fecit, nec potuit eum ad hoc inducere, tunc si habet bona ex quib. satisfacere possit, debet tantum dare & restituere aliis filiis vel hæredibus ab intestato, vel eis quibus verisimiliter sciret quòd relinqueret si illum filium putatiuum non haberet: & si id verisimiliter non posset scire nec cognoscere, illud det, & restituat pauperib. pro eo à quo bona illa sunt oblata: si verò non audet hoc reuelare propter periculum homicidij, nec habet bona, ex quibus satisfacere possit, tunc contentatur & pœniteat, & erit secuta in conscientia, cum aliud facere non potest: nam cum ex vna parte sit damnum bonorum, ex alia graue periculum personæ, debet eligere minus damnum, argumento text. in *c. nerni. & capite duo. 13. distinctione, cum similibus.* Et in expresso istam sententiam, & resolutionem probat textus. in genere, in *capite officij, de pœnis. & remiss.* vbi text. loquitur in isto casu, & dicit quòd mulieri debet iniungi competens satisfactio per discretum faciendo.**

Ant. Gomez. ad Leg. Tauri.

tem: & argumento illius tex. & aliorum iurium tenet & declarat ibi Innoc. Hostiens. Ioann. Andr. Anton. de Butric. Abbas Panor. Cardinalis. Ancharra. Collectarius, & communiter doct. Ancharra. nota. in *regula. possessor male fidei. de reg. iur. 13. colu. nu. 22. Summa Syluestrina in parte, adulterium. 1. questione. Summa. Angel. in parte, adulterium. 4. questione: & istam quæstionem mouet Barr. in *leg. filium eum definimus, de his qui sunt sui, vel alieni iuris, in fin.* & dicit quòd contingit in quadam Regina.*

TEXTVS LXXXIII.

Quando se prouate que algun testigo depuso falsamente contra alguna persona, o personas en alguna causa criminal: en la qual si no se aueriguasse su dicho ser falso, aquel o aquellos contra quien depuso merecia pena de muerte, o otra pena corporal, que al testigo aueriguando se como fue falso le sea dada la misma pena en su persona y bienes como se le deuiera dar a quel o aquellos contra quien depuso se yendo su dicho verdadeto, caso que en aquellos contra quien depuso no se execute la tal pena, pues por el no quedo de dargela. Lo qual mandamos que se guarde y execute en todos los delictos de qualquier calidad que sean: en las otras causas criminales y ciuiles mandamos que contra los testigos que depusieren falsamente se guarden y executen las leyes de nuestros reynos que sobre ello disponen. Id est: *Quum probatum fuerit, testem aliquem falso deposuisse aduersus aliquem aut aliquos in causa criminali, in qua nisi certò apparuisset depositionem illius esse falsam, ille, aut illi aduersum quos deposuit, merebantur mortis pœnam, aut aliam corporalem pœnitionem, testis falso manifestè deprehenso irrogetur eadem pœna in persona & bonis, que ab ipso delatis, depositione ipsius vera existente, irrogari debuisset, quamuis in illos aduersus quos deposuit eiusmodi pœna non fuerit irrogata, quandoquidem per ipsum non stetit quin in illos ipse irrogaret. Quod precipimus vt seruetur & fiat in omnibus delictis cuiuscunque qualitatis. In aliis causis tum criminalibus, tum ciuilibus, & precipimus vt contra testes qui falso deposuerunt, seruentur & impleantur leges nostrorum regnorum ea de re disponentes.*

S V M M A R I V M.

- 1 Falsitas est delictum publicum quod committitur quando quis scienter, & dolose mutat substantiam veritatis in praiudicium alterius.
- 2 Quando & quibus casibus committitur falsitas, & qua sit pœna eius?
- 3 Qua sit pœna fabricantis falsam monetam?
- 4 Si quis fabricauit falsam monetam, sed tonderit, vel raserit, vel diminuerit, qua pœna puniatur?
- 5 Expendens falsam monetam, licet non fecerit eam, qua pœna puniatur?
- 6 Que sit pœna eius qui fabricauit script. falsã.

- 7 Testis qui falsum testimonium dixerit in causa civili vel criminali qua pœna puniatur?
- 8 Ille qui dixit falsum testimonium contrarium in causa heresis, qua pœna puniatur?
- 9 Testis qui dixit falsum testimonium in causa adulterij, qualiter puniatur?
- 10 Iudex qui dolo, pretio, vel malitia iniuste aliquem condemnauit, qualiter puniatur?
- 11 Quando quis dolose mutat sibi nomen in preiudicium alterius, qualiter puniatur?
- 12 Quando quis mensuras publice signatas, mutauerit vel corruerit, qua pœna puniatur.
- 13 Regulariter que sit pœna falsi?
- 14 An in hoc delicto falsitatis admittatur appellatio?
- 15 Si iudex, tabellio, vel testis dicat, & affirmet se fecisse falsitatem, an talis confessio probet in preiudicium tertij, quando non fuit facta in plenario iudicio?
- 16 Insignia doctoralia & eorum significatio?
- 17 Duodecim priuilegia Doctoratus.
- 18 Doctor qui per viginti annos legerit, efficitur inuicibilis, & illustris, sicut ille qui clarissimo sanguine fuerit natus.

L E X. L X X X I I I. finalis

NOta dispositionem huius legis, Pro cuius perfecta intelligentia, & declaratione dico quod Falsitas est delictum publicum quod committitur quando quis scienter & dolose mutat substantiam veritatis in preiudicium alterius: text. est in l. quid sit falsum, & quasi per totum. ff. ad leg. Corn. de fals. text. in l. 1. & per totum. C. eod. tit. text. in Auth. de instrumentorum cantela & fide. vers. 1. coll. 6. cuius verba sunt, nihil est aliud falsitas nisi veritatis mutatio. text. in l. 1. & per tot. tit. 7. 7. par. Circa quod duo principaliter sunt videnda. Primum est, quando, & quibus casibus committatur falsitas. Secundum est, quæ sit pœna eius?

3 Quoad primum dico quod primò committitur falsitas quando quis fabricat falsam monetam Regis, vel principis non recognoscentis superiorem. Quo casu propter grauitatem criminis alteratur, & aggrauatur pœna: quia de iure antiquo ff. liber homo damnabatur ad bestias, seruus verò puniebatur pœna mortis: textus est in l. quicumque. ff. ad legem Corneliam de fals. cuius verba sunt: Quicumque nummos aureos partim raserint, partim tinxerint, vel sinxerint, si quidem liberi sunt, ad bestias dari: si serui, supremo supplicio affici debent. Hodie tamen de iure nouo Codicis, modò reus delinquens sit liber, modò seruus, punitur pœna mortis ignis & publicè concrematur, & omnia bona eius confiscantur: & hoc casu dicitur committere crimen læsæ maiestatis: text. est formalis, & expressus qui quotidie practicatur in l. 2. C. de falsa moneta. Item etiam eadem pœna puniuntur socij, qui

scienter præstiterunt fauorem, auxilium, vel consilium principalibus delinquentibus Item etiam eadem pœna puniuntur qui domum propriam, vel fundum ad hoc delictum committendum præstiterunt. Item etiam si domus, vel fundus in qua talis moneta falsa fabricatur sit aliena, confiscatur, etiam si dominus eius sit ignorans, dum tamen sit prope ipsam domum vel locum vbi fit & non valde longè, vbi verisimiliter potuit ignorare & non prouidere, dum tamen sit masculus & maior ætate 14. annor. secus verò si talis domus, fundus, vel locus sit alicuius mulieris viduæ, vel minoris: quia tunc non confiscatur, tex. est in l. 1. C. de fals. monet. & idem expressè disponit lex penult. & si. tit. 7. 7. par. & lex 7. tit. 12. l. 4. for. ll.

Item adde quod ille qui non fabricauit falsam monetam, sed tantum totonderit, raserit, vel diminuerit monetam in aliqua mediante aliquo artificio, de iure antiquo puniebatur eadem pœna, scilicet, damnationis ad bestias: text. in d. l. quicumque. ff. ad legem Cornel. de falsis, ex quo videtur quod hodie puniatur pœna mortis, & concremationis, argum. text. in d. l. 2. C. de fals. monet. sed teneas contrarium, imò quod talis ronden, raddens, vel diminuens monetam non puniatur pœna mortis & concremationis, sed tantum pœna damnationis ad bestias: & cum illa non sit in vsu, erit ad Galeras, vel arbitraria: nec illa pœna corrigitur isto casu, quia textus in d. l. 2. C. de falsa moneta. solum loquitur in fabricante, in quo consideratur maius delictum: vnde illa lex & eius pœna tanquam odiosa non est extendenda: & in expresso ita tenet Bart. in d. l. quicumque. ff. ad leg. Cornel. de fals. glos. ord. & ibi Cynus, Salyc. & commun. docto. in dicta l. 2. Cod. de fals. moneta. gloss. etiam ordin. & communiter docto. in capit. quanto de iure iur. Hippolytus in l. qui falsam. ff. ad legem Cornel. de fals. num. 99. & idem disponit lex penult. tit. 7. 7. par. Hodie tamen videtur quod debeat imponi pœna mortis & confiscationis bonorum, per pragmaticam huius regni fol. 112. lib. pragmaticarum: quæ ad literam disponit: quod si quis fecerit, raserit, vel diminuerit monetam, teneatur pœna mortis & confiscationis bonorum: nec obstat si dicas quod illa pragmatica loquitur in illa moneta aurea vel argentea quæ ibi nouiter inducitur, & mandat fieri: quia eadem ratione extenditur ad aliam quamlibet monetam quæ postea fiat: & istud est quod sentio.

Item adde quod expendens falsam monetam punitur eadem pœna, licet non fecerit: ita probat textus in l. lege Cornelia, versic. eadem leg. ff. ad leg. Corn. de fals. cuius verba sunt, eadem lege exprimitur, ne quis nummos stanneos, plumbeos, emere, vendere, dolo malo vellet, & ibi notat Bartol. & communiter docto. Confirmatur quia ille qui vititur instrumento falso punitur sicut ille qui fecit. textus est in l. 2. Cod. de fide instrument. textus in lege si falsos. Cod. ad leg. Cornel. de fals. & in expresso ita tenet Angel. de malefic. in parte, falsar. 2. col. versic. quæro. & ibi eius additionator: tenent etiam doctores

doctores præcipuè Anania in cap. ad falsariorum. de crimine falsi. Hippolytus de Mar-
si. in l. qui falsam monetam. ff. ad leg. Corn. de
fal. num. 64. quod tamen intellige quando
scienter expendit prædictam monetam: non
verò aliàs: ita probant prædicta iura & de-
terminant prædicti Docto. vbi supra. Vnum
tamen, est, quòd ille qui habet & possidet
prædictam monetam excusatur si doceat, &
ostendat illum à quo eam habuit, licet
contra possidentem sit aliqua suspicio: ita
probat tex. in l. maiorum. C. ad l. Cornel. de
fals. per quem ita tenet Cynus, Iacob. Butr.
Angel. de Peru. & commun. Docto. ibi: Ab-
bas & alij docto. in cap. quanto, de iureiuran.
Anania & communiter doctores in capir.
ad falsariorum. de crimine falsi. Hippolytus
de Marfilii in d. l. qui falsam monetam. ff. ad
legem Cornel. de fals. 11. col. numero 97.

6 Secundò committit quis falsitatem quã-
do fecit vel scripsit scripturam falsam, vel
quando aliquam partem eius, deleuit: text.
est in l. prima. §. qui rationibus. ff. ad legem Cor-
neliam de fals. textus in l. Paulus. eodem titu.
cum pluribus alijs eiusdem titu. text. in l. falsos
codicillos. in l. qui veluti. eodem titu. cum simi-
libus. Quòd intellige quando talis scriptura
aliquam fidem plenam, vel semiplenam,
vel indicium faciebat: secus si nullam: ita
Bartol. in dicta l. qui rationibus. & ibi Docto.
& tenet gloss. ord. & communiter doctores
in l. domus. & hoc casu si talem falsitatem
commisit in aliqua scriptura Regis vel
Papæ, punitur pœna mortis: si verò falsita-
tem commisit in alia scriptura, tunc si est
tabellio debet amputari sibi manus dextra,
& amittit officium, cum remaneat infamis:
si verò sit alia priuata persona incurrit pœ-
nam falsi regularem & ordinariam, quæ est
deportatio, & omnium bonorum publica-
tio, de qua latius & generaliter infra dice-
mus: tex. in l. 6. tit. 7. 7. par. text. in fi. tit. 19. 3.
par. tex. in l. 1. tit. 12. lib. 4. foro II. & attende
quòd hoc casu non videtur imponi aliqua
pœna confiscationis bonorum: & confirma-
ri potest ista pœna de iure communi per
text. in Auth. de mandatis principum. §. coges.
colla. 3. vbi exactor publicus pecuniæ, si scri-
bit se minus accepisse quàm accepit, puni-
tur hac pœna, amputationis manus. Item
etiam confirmatur ex antiqua lege in Lom-
bardia quæ dicebat manum incidendam ta-
bellioni conficienti falsum instrumentum:
de qua meminit gloss. in authen. sed. nouo in-
re. Cod. de seruis fugi. Item adde quòd etiam
ille qui vitur instrumento falso commit-
tit crimen falsi: textus est in l. 2. Cod. de fide
instrum. in hoc tamè est maxima differentia
quòd ille qui fabricauit instrumentum fal-
sum indistinctè tenetur pœna falsi, licet
non vtatur eo: vel si vtatur & desistat, ta-
men ille, qui non fecit nec fabricauit, sed
tantum vsus est in eo iudicio: si desistat an-
te sententiam definitiuam, excusatur. text.
est singularis in l. si falsos codicillos. Cod. ad
legem Corneliam de falsis. & ibi gloss. ordi.
& communiter Docto. ille tamen qui se-
mel desistit ab illo instrumento quod argue-
Ant. Gomez ad Leg. Tauri.

batur falsum, non potest amplius eo vri,
etiam in alio iudicio: text. est singul. & vni-
cus in l. 3. Cod. de fide instrum. & ibi reputat
singul. & vnicum Bal. & alij Docto.

7 Tertio committit quis falsitatem, quan-
do productus in testem in aliqua causa ci-
uili vel criminali dixit testimonium falsum:
textus est in l. 2. ff. ad legem Corneliam de falsi.
textus in l. lege Corneliam. §. pœna legis Corne-
lia. eodem titu. text. in l. eos. eodem titu. quo
casu si dixit falsum testimonium in causa
criminali & capitali contra innocentem,
punitur pœna mortis, vel eadem pœna qua
reus teneretur, si contra eum verè probare-
tur delictum: textus est in l. prima. §. prate-
reiff. ad legem Corneliam. de sicar. ibi, quive
falsum testimonium dolo malo dixerit, quo
quis publico iudicio rei capitalis damnaretur,
& ibi ad hoc notat & commendat gloss.
ordin. Bartol. Angelus, Hippolyt. & com-
mun. Docto. & reputat ibi mirabilem Al-
ber. & illum text. ad hoc reputat singul. Bald.
in cap. primi. §. iniuria. fin. colum. & quest. de
pace iuramento firmam. in vsib. feudorum. idem
Baldus in l. presbyter. 2. colum. numero 10. de
de episc. & cleric. idem Baldus in l. iurisru-
randi. 2. col. C. de rebus credit. idem Baldus in
l. data opera. 6. co. numero. 28. C. qui accus. non
poss. Ioann. de Ana. in cap. primo, de crimine
falsi. tertia col. in fin. & idem disponit lex
26. tit. 11. 3. parti. Confirmatur etiam, quia
accusator calumniosus punitur similitudine
supplicij text. est in l. libellorum in fi. ff. de ac-
cus. text. in l. si cui. eo. tit. cum simi. text. in l.
2. C. his qui latrones. per quem dicit ibi Bal.
in fine. quòd ille qui facit aliquem capi qui
postea reperitur innocens, debet puniri si-
militudine supplicij: & per hoc fuit qui-
dam decapitatus in ciuitate Perusij. Sed at-
tende, salua eius pace, quòd cum hodie
pœna talionis non sit in vsu, eius sententia
non posset procedere, sed teneretur pœna
extraordinaria. Dubium tamen erat de iure
communi, an ista sententia & conclusio
procederet eo casu quo ille contra quem
dictum fuit testimonium non fuit condem-
natus: quia ante sententiam apparuit de
falsitate? Et videtur quòd non: sed tan-
tum eo casu quo est sequuta mors vel pœna
corporalis. Primò, quia vt dixi, hodie pœ-
na talionis non est in vsu. Secundò quia
hoc probat prædicta lex partitæ, quæ lo-
quitur eo casu quo pœna est mandata exe-
cutioni. Sed his non obstantibus contra-
rium est tenendum, imò quòd vtroque casu
tenetur pœna mortis vel simili pœna corpo-
rali: quia reus teneretur si contra eum ve-
rè probaretur delictum: & in expresso ita
probat text. in d. §. praterea. probat etiam
tex. notabilis in c. satis. in fin. 33. qu. 5. quem
ad hoc notant & commendant ibi docto-
res: illum etiam ad hoc commendant Feli-
nus in ca. sicut. de testib. 2. col. num. 2. &
istud est quod expressè voluit & disposuit
ista nostra lex finalis Tauri: & ista est eius
principalis. decisio.

8 Quarto tamen circa hoc, si fortè te sitis
falsum testimonium dixit contra alium in
C C c 3 causa

causa hæresis, vtrum possit pœnitere sicut reus poterat, licet contra eum probaretur delictum? Et breuiter dico quòd non: quia talis falsus non tenetur de hæresi, sed de crimine falsi, in quo non habet locum pœnitentia: & in expresso ita tenet Iac. de Aret. in l. si. C. de accusationib. & ibi Cynus, 1. col. vers. 3. queritur. Alb. 2. col. vers. sed quid si aliquis. Bal. 1. col. num. 3. Ang. de Peru. in fin. n. 3. & per consequens teneretur eadem pœna qua reus teneretur si delictum hæresis probaretur: & certè esset iustissima pœna, licet aliquando soleat practicari contrarium: imò quòd leuior & arbitraria pœna imponatur.

9 Item etiam quæro, si testis dixit falsum testimonium in causa adulterij contra aliquos, & probetur falsitas, qua pœna talis testis puniatur? Et videtur quòd pœna mortis: quia eam potest maritus imponere ipsis adulteris, cum per ll. nostras regias possit maritus adulteros interficere. Ex aduerso tamen videtur quòd talis testis non teneatur pœna mortis: quia illa non est præcisa, certa, nec determinata per nostras ll. Regias in causa adulterij: sed tantum est pœna arbitraria posita in voluntate & facultate mariti, cum ambo, hoc est, adulter & adultera tradantur marito vt de eis & bonis eorum faciat quicquid velit: vnde videtur, quòd hoc casu talis testis falsus puniatur pœna arbitraria, sicut de iure communi: & certè quæstio est dubia, noua, & singularis: in qua primo videtur quòd talis testis teneatur pœna iuris communis vel aliter & secundo videtur quòd talis testis ponatur in potestatem eorum contra quos testimonium tulit super adulterio. Vel aliter, & tertio dico quòd videtur quòd talis testis teneatur pœna mortis: quia ad talem pœnam se extendebat pœna, & delictum adulterij super quo deposuit, & iam iste casus contigit de facto in Cancellar. Regia de Valladolid: & quæst. fuit valde dubia, & fuit diuersitas & discordia inter ipsos iudices, & processus fuit ad alios remissus, & finaliter fuit imposita pœna mortis: & certè ista pœna, & opinio videtur mihi iusta, & tenenda.

10 Item adde quòd sicut testis deponens falsum testimonium in causa criminali punitur pœna mortis vel eadem qua ipse reus delinquens puniretur si contra eum probaretur delictum, vt supra proximè dixi, & disponit nostra lex finalis Tauri: ita eodem modo iudex qui dolo, pretio, vel malitia iniuste aliquem condemnauit in causa criminali, tenetur pœna mortis, vel eadem qua ipse condemnatus afficiebatur: tex. est singul. & vnicus in l. lex Iulia. paragrapho si. ff. ad leg. Iul. repetund. quem ad hoc reputat singularem & vnicum Bal. in l. presbyteri. l. 1. C. de episc. & cler. 2. col. n. 10. licet littera eius sit corrupta in allegat. illum etiam dicit mirabilem Bald. in l. vnica. Cod. ex delictis defunctorum. pen. col. facit etiam tex. in lege 1. & per tot. ff. quod quisque iuris. per quem ita tenet Bled. in rubr. Codice de pœna iudicis qui male iudicauit. & idem disponit lex no-

tabilis Part. 24. tit. 2 2. 3. par. & l. 4. in fin. tit. 30. 7. par.

Si verò dixit falsum testimonium in causa criminali, non tamen, capitali, tenetur pœna ordinaria falsi, de qua inferius dicam: si verò dixit falsum testimonium in causa ciuili, indistinctè tenetur pœna ordinaria falsi, & tenetur parti ad notale interesse: ita dicunt & probant prædicta iura superiora: & probat etiam prædicta lex partita, vnum tamen est quòd hoc casu hodie in isto regno imponitur sibi pœna extractionis dentium: ita disponit lex 3. tit. 4. foro. ll. quæ tamen esset seruanda in locis vbi de consuetudine seruatur. Similiter etiam tenetur pœna falsi testis, qui accepit pecuniam etiam pro veritate dicenda: textus est notabilis in lege 1. vers. sed & si quis, ff. ad leg. Cornel. de fals. & ibi notat & commendat Bart. & comm. doct. cuius ratio est, quia ille qui tenetur aliquid facere gratis, si pro eo recipiat pecuniam, turpiter recipit: vt in l. 1. & 2. cum simil. ff. de condi. ob turp. cau.

11 Quartò committit quis falsitatem quando dolosè & fraudulenter mutat sibi nomen vel cognomen causa aliam decipiendi: textus est in l. falsi nominis. ff. ad legem Cornel. de fals. cuius verba sunt, falsi nominis vel cognominis asseueratio pœna falsi coercetur. & ibi notat Bart. & commun. doct. & iam vidi de facto quòd quidam creditor non habebat nisi vnum testem contra debitorem pro quodam debito probando, & illum induxit vt deponeret in causa, expresso nomine proprio: & postea iterum & secundo mutatis vestibus & mutato nomine deposuit, vt sic creditor obtineret, & punitus fuit pœna falsi.

12 Quintò committit quis falsitatem quando mensuras publicè signatas vel approbatas corrupit, licet hoc casu mitiori pœna puniatur: quia condemnatur in duplum eius damni quòd incurrit ille qui cum eo contraxit, & per tempus in exilium datur tex. est in l. pen. ff. ad l. Corn. de fal. tex. in l. annonam. ff. de extraord. crim. tex. in l. arbitrio. §. de eo. ff. de dolo, & ibi gl. ord. & comm. Dd. tex. in l. 7. par. tex. in l. 1. tit. 10. lib. 3. foro ll. vbi vide bonam glol.

Sextò committit quis falsitatem quando fecit partum suppositum: tex. est in l. qui falsum §. 1. ff. ad leg. Cor. de fals. tex. est in l. lege Cornelia. eo. tit. tex. in l. 1. C. eo. tit. tex. in l. hi tamen. ver. nam & filius ff. de accus. in l. 3. tit. 7. 7. part. per quæ iura apertè venit reprobanda sententia Innocent. & aliorum Doct. in c. quia verisimile. de presump. & Abbatis Feli. & aliorum in c. afferre. cod. tit. vbi dicebant quòd hoc casu imponitur pœna mortis: quia certè non imponitur nisi pœna falsi quæ est longè minor, vt statim proximè dicam.

13 Item adde quòd regulariter in hoc crimine falsi pœna est deportatio, & omnium bonorum publicatio: & hoc in libero homine, in seruo verò est pœna mortis: tex. est in l. 1. §. si. ff. ad leg. Cornel. de fal. cuius verba sunt, pœna falsi vel quasi falsi deportatio est, &

& omnium bonorum publicatio: & si seruus eorum quid admisit ultimo supplicio affici iubetur. text. in §. Cornelia de fals. Inst. pub. indic. Adde tamen quod cum hodie ista pœna non possit imponi quia nulla ciuitas vel iurisdictio habet insulas in quibus ista pœna practicetur. Item etiam nec regulatiter hodie habeat locum confiscatio omnium bonorum pro delictis, ut in auth. bona damnatorum. C. de bonis pro. quod in isto delicto falsitatis & simili imponetur hodie in isto regno pœna arbitraria, secundum qualitatem delicti & personarum, argu. text. notabilis in l. hos accusare. §. omnibus. ff. de accus. vbi habetur quod quando pœna imposita à lege non potest cadere in aliqua persona ex aliqua causa, imponitur per iudicem pœna arbitraria: text in l. hodie ff. de pœn. cum simil. & in expresse fundamento & consideratione ita tenet Gandin. doct. antiq. in tract. in tit. de falsar. 4. col. vers. sed cum hodie. sequitur Gregor. in l. 6. tit. 7. p. 7. verbo de terrado. Clar. lib. 5. senten. n. 31. not. & melius quam alibi Alber. de Ros. in l. §. si ff. ad l. Cornel. de fal.

14 Item adde quod in hoc delicto falsitatis non admittitur appellatio: text. est in l. 1. C. de falsa monet. v. appellandi. cuius verba sunt appellandi etiam priuato licentia denegetur. text. in l. 2. eiusdem tit. in verbo illico, licet illa iura possent intelligi in delicto qualificato falsæ monetæ: non verò in alio delicto falsitatis: & istud videtur verius, & tenendum.

15 Dubium tamen maximum est circa prædicta, si iudex qui tulit falsam sententiam, vel tabellio qui fecit falsum instrumentum, vel testis qui dixit falsum testimonium, dicant & affirmant in articulo mortis eos, falsitatem commississe, talis confessio legitimè probet? Et breuiter & resolutiue dico quod non: ita probat textus in l. si quis in graui §. si quis moriens ff. ad Sylla. & ibi expresse tenet Bartol. Alber. Angel. Bald. & communiter Dd. textus in l. generaliter. C. de non numer. pec. & ibi tenet Bart. fin. colum. in fin. text. notabilis in l. fina. ff. de probat. textus in l. Seia. ff. ad Velleia. & ibi Pau. text. in l. 1. §. si quis filium. ff. de Carbo. edicto. text. in l. mater. C. de calumnia. & tenet Bal. in auth. si dicatur C. de testib. pen. col. Salic. in l. qui falsa. ff. de testib. Ial. in l. 1. ff. de eo per quem factum est idem Ial. in l. iusiurandum. §. procurator. ff. de iureiur. numero 25. Felin. in cap. litteras. de presumpt. cuius ratio est, quia tendit in præiudicium tertij. Item etiam quia non deponit solemniter in iudicio: ita dicit Bald. in d. authen. si dicatur. Codice de testib. pen. colum. Item etiam quia non omnis, qui moritur est Ioannes Euangelista, ut dicit idem Bald. in cap. 1. §. vasalli. el. 1. in fin. de pace Constantia. in vsibus feudor. Quod tamen intellige quando talis confessio defuncti reperitur sola: secus tamen est si cum ea concurrant alia indicia: quia tunc plenè probat: quia non est credendum quod in tali artic. quis contra se & propriam consciētiam testimonium falsum dicat, nec debet præsum. immemor salutis æternæ, in cap. sancimus. 1. qu. 7. & in terminis ita tenet Philippus Decius

in l. 1. ff. si certum per. 3. columna numero 12. Hippolytus notabiliter & melius quam alibi in repet. rubr. ff. de fideiuss. num. 19. dicens quod de hoc est statutum in inelyta ciuitate Mediolanensi, quod ipse practicauit Pro qua sententia & conclusione circa prædictos doctor. facit tex. notabilis non allegatus in proposito, in l. quæro. §. fina. de edil. edict. vbi habetur quod seruo vili & infami de facto proprio credendum est: & eius confessio plenè probat, si cum ea concurrant alia indicia: & commendat ibi Alber. Bald. Salic. & commu. alij doct. Notat etiam & commendat Bartol. in l. cum filiusfamilias. ff. de verborum oblig. fina. colum. Confirmatur etiam, quia probatio non semper ruditer, & vulgariter debet intelligi, quod debet fieri per duos testes vel propriam confessionem, sed per alias legitimas vel probabiles coniecturas, per quas iudex possit moueri, & ad perfectam crudelitatem produci: textus in l. 3. §. tu magis. ff. de testibus. cuius verba sunt, que argumenta ad quem modum probanda cuiusque rei sufficiant, nullo certo modo desiniri potest: hoc ergo rescribere possum summam, non utique ad unam probationis speciem cognitionem statim allegari debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, quid aut credas, aut parum tibi probatum opineris. & ibi comm. Doct. Ex quibus resultat prædicta sententia & conclusio bene confirmata, quod sola confessio alicuius tertij de facto proprio etiam in præiudicium tertij concurrentibus aliquibus iudiciis, plenè & sufficienter probat.

Et istum casum habui de facto in mea propria persona & proprietatis Vesperorum cathedra quam ad præsens possideo, quam potius misericordia diuina habui, & obtinui quam alio iure titulo, vel via ordinaria iustitiæ: in qua fuimus quatuor oppositores, scilicet doctor Velasco, doctor Torres, Licentiatus Sanchez Regij auditores: & similiter ego qui obtinui victoriam Cathedrae in qua fuerunt plusquam mille suffragia: & summa lis differentia fuit orta inter me & peritissimum prædictum doctorem de Velasco: quia inter nos fuit maxima & omnimoda paritas & æqualitas inter suffragia, cursus, & qualitates eorum: & facta regulatione omnium per rectorem & consiliarios, inuenerunt prædictum doctorem de Velasco excessisse in solo tertio vnico cursus, & prætextu eius protulerunt sententiam pro eo, & miserunt eum in possessionem prædictæ cathedrae, quam habuit & possedit plusquam per annum continuum, & fructus & redditus percepit: post quæ omnia viso processu, & præhabito consilio & deliberatione, conquestus fui coram Imperatore & Rege nostro, qui libenter audiuit petitionem meam, & remisit causam celeriter pertractandam in Cancellaria regia de Valladolid, vbi lis & causa durauit plusquam per annum: & in effectu & substantia dixi & allegaui esse erratum in calculo & regulatione: quia in votis & suffragiis meis erat & continebatur vnus cursus plusquam numeratus fuit, de

quo constabat ex proprio errore calculi & processu. Secundò & principaliter allegabam quòd dato quòd in calculo & regulatione non esset erratum, quòd prædictum tertium cursus in quo prætendebat excedere Doctor Velasco, non erat excessus: quia non potest inueniri in victoria alicuius cathedræ minor excessus quàm vnus cursus integralis, qui fit ab scholari & auditore infra annum vel maioris partis, & in tertia, quarta, vel dimidia parte anni non fit: nec potest fieri aliqua pars cursus, cum sit actus indiuiduus, qui requirit totalem consummationem, & perfectionem, in quo pars non effert tantam vtilitatem respectu partis, sicut totum respectu totius: & secundum hoc eramus pares & æquales & ratione antiquitatis ego eram præferendus per constitutiones nostras, dicentes, quòd si in petitione cathedræ plures doct. vel magistri concurrerint, cæteris paribus, antiquior in gradu præferatur. Tertio, & principaliter allegabam quòd plures scholares & studètes qui vota & suffragia sua dederunt in prædicta cathedra erant inhabiles, & nullo modo erant capaces eorum specialiter quidam vocatus Ioanes Nunnez contra quem durante lite allegavi non esse facultatis legalis, nec habuisse votum & suffragium, & falsò votum dedisse ex maxima amicitia: & còtigit quòd isto medio tempore interfecit quadam nocte Baccalaureum Ximenez, in cuius domo habitabat, & eius commensalis, & fuit captus & incarceratus per iudicem ordinarium vniuersitatis, & superuenit Licentius Ioannes Curialis iudex cum speciali commissione regia, & fregit carceres iudicis scholasticæ & statim sine longa mora eum condemnauit ad mortem, & publicè furca suspendi fecit: qui dum duceretur per vias publicas & plateas, ductus fuit per domum meam me absente in prosecutione cathedræ, & eius litis, & alta voce clamauit & vocauit uxorem, filios, & familiam meam: & coram eis dixit & confessus fuit qualiter votum & suffragium falsum dedit contra me, sine eo quòd aliquem cursum haberet, nec esset facultatis legalis: sed omnino & ex pluribus causis inhabilis ad votum & suffragium ferendum: & qualiter ipse illud præstitit pro doctore Velasco in secreto, prout vota præstantur: & finxit & affirmavit se habuisse quatuor cursus, & ita posuisse in scheda sua, quòd hoc manifestabat & declarabat pro reme diu suæ conscientiæ: & iterum atq; iterum in patibulo & furca antequam expiraret hoc pluries clamando dixit declarauit, & vocibus & lachrymis à me, licet absente, & familia mea veniam implorauit: & postea in prædicta Cancellaria regia coram prædictis iudicibus causæ, inter omnia aliqua quæ in fauorem proprium allegavi fuit, quòd votum & suffragium huius condemnati non deberet valere, & per consequens deberent auferri de computatione & regulatione doctoris de Velasco quatuor cursus quos iste dixit habere: ex quo resultabat quòd mihi deberet adiudicari

prædicta cathedra, & allegabam in fauorem, quòd ista erat confessio defuncti de facto propria: cum qua concurrebant alia plura indicia, & secundum hoc plenè & sufficienter probabat, licet tenderet in præiudicium tertij: hoc est, prædicti Doctoris de Velasco, iuxta prædictam superiorem communem sententiam & conclusionem quam fundavi. Nam primò allegavi & probavi maximam amicitiam quam habebat cum prædicto Doctore de Velasco. Secundò quia etiam in articulo mortis dixit fabricasse falsitatem in matricula, certo modo & signo: & ita apparuit & inuentum est. Tertio quia antequam votum & suffragium dedisset, dixit & confessus fuit coram pluribus amicis quòd non erat facultatis legalis, & timebat pœnam falsi.

Quarto quòd in aliis cathedris legalibus nunquam repertus fuit votum dedisse, nec scriptum esse in Matricula. Quintò quia postquam votum & suffragium dedit in prædicta cathedra, dixit & confessus fuit coram pluribus, qualiter ingressus fuit claustrum Rectoris & Consiliatorum secretè, me illum non vidente ad opponendam exceptionem, & tandem pertransiuit inter alios sicut moneta falsa.

Sextò etiam & finaliter probavi alia quam plurima quæ hic non infero, per quæ mihi fuit adiudicata prædicta cathedra: & in gradu supplicationis fuit sententia confirmata non tamen fuerunt fructus medij temporis, lite durante percepti, mihi restituti, sed remanserunt penes prædictum Doctorem de Velasco, quia possidebat cum titulo, argumento textus *in lege iuste possidet ff. de acquir. possess.* Fateor tamen quòd aliquæ personæ ex timore conscientiæ propriæ mihi restituerunt plusquam mille aureos pro aliqua satisfactione damni & præiudicij, quòd incurri propter iniusta & illicita negotia contra me adhibita & commissa durante vacatura.

In qua, proprietatis vesperorum, cathedra fauente gratia & misericordia diuina, maxima & mihi possibili cura & solitudine, legi per viginti annos à lucrosa aduocatione: & negotiis temporalibus me abstinendo, & in reddenda vera & solida doctrina, & pauperibus incarceratis subueniendo omne tempus consumendo. Ex quo licet doctor honesta vita & legali scientia præditus plurima & singularia priuilegia consequatur: primum quia talis doctor maximè actualiter legans in aliqua Vniuersitate præcedente riguroso examine, approbatus à scholastico vel patricio & sic ab antiquiore suæ facultatis de eius commissione insignia doctoratus conceduntur quæ principaliter sunt quinque, scilicet ascensio cathedræ, in signum perfectionis acquisitæ doctrinæ, argumento text. *in cap. multi 40. distinct.* impositio byreti cum flosculo rubeo in signum coronæ acquisitæ in fortissimo certamine, non minus quam milites qui gladiis, clypeis & thoracibus defendunt rempublicam. argumentum. textus *in cap. si quis virorum 30. dist.*

dist. & in l. *aduocati*. Cod. de *aduoc. diuer. iudic.* & in l. *unica* Codice de *athletis*. Præsentatio libri clausi & aperti, in signum sapientiæ, in eius corde & pectore clausæ, pro eruditione & doctrina totius mundi. argum. text. in cap. *habeo librum* 16. distinct. annuli subharratio in signum desponsationis legalis sapientiæ, argumento textus in cap. *fæmina*. 3. q. 5. osculi exhibitio, in signum pacis & amotis & proximi. argumento textus in c. *pacem de conse.* dist. 3. & in terminis hæc insignia ponit gl. singularis in iure. iuncto text. in *clement. de magistris*, & ibi commun. doct. in locis supra allegatis.

17 Secundum priuilegium est quia non debet in suis vocari sine venia, & habet iudicem proprium & particularem scholasticum, vt in l. *quoties*. Codice de *dignitatibus*, lib. secundo in *authen. habita*. Cod. ne *filius pro patre*. & in *clem. 1.* & *1. de magistris*, & vtrobique docto. & tenet Bart. & alij in l. *si libertus ff. de in ius vocando*.

Tertium priuilegium est: quia non potest incarcerari pro debito ciuili, ita probat textus in *lege medicos*. Codice de *profe. & medi.* lib. 10. & ibi Platea & comm. doct.

Quartum priuilegium est: quia nõ potest torqueri flantibus iudiciis, ita probat text. in l. *militis*. Cod. de *quæst.* & ibi notat Cynus, Albe. & commun. doct. textus in l. *si excepta*. Codice de *malefi. & mathe.* & ibi Sali. & alij doct. & tenet gloss. ord. in *lege omnes paragrapho præterea de episc. & cler.* Bartol. & communiter docto. in *lege omnes iudices* Codice de *decurionibus*. lib. 19. Felin. in *rubr. de magistris*. & dixi & tenui in *materia delictorum*. c. 13.

Quintum priuilegium est: quia pœnis plebeiorum affici non potest, ita probat textus in *lege desertorem paragrapho pœna milit.* ff. de *re militari*. & tenet gloss. ordin. in l. *1. paragrapho præterea*. Codice de *episc. & cler.* & ibi comun. docto. Bald. & alij doctores in *ca. cum quidam. de iurciuran.*

Sextum priuilegium est: quia efficitur immunis & exceptus ab omnibus subsidiis, tributis, & muneribus personalibus quæ aliis plebeiis, & popularibus personis imponuntur. textus est in *lege medicos*. Cod. de *profe. & medi.* textus in *lege prima* Codice de *immu. p.* lib. 10. & vtrobique comm. doct.

Septimum priuilegium est: quia potest arma impune portare omni tempore, & loco prohibito. ita probat textus in *dicta lege medicos*. & ibi Bartol. & comun. doct.

Octauum priuilegium est: quia debet sedere cum ipso iudice ordinario, in loco, vbi iudicium exercet, nisi compareat in sua propria causa ita probat textus in l. *1. C. de officio ciuil. iudic.* & ibi doct. & tenet in specie Felin. in *rub. de magistris*.

Nonum priuilegium est: quia excusatur litigator à cõdemnatione expensarum: item etiam excusatur iudex in syndicato, si litigauit vel proferat sententiam secundum opin. probabilis doctoris, contra communem opinionem argumento textus in *ca. vt debitus de appell.* & in *c. 1. de postu.* lib. 7. & tenet

Abb. in *c. 1. de postul. præ. Card. in cle. 2. de magistris*. 3. col. num. 16. Bald. & alij doct. in l. *si. C. de pœna iudic. qui malè iudic.*

¶ Decimum priuilegium est: quia potest expellere fabrum D. vel malleatē iuxta domum suam. ita gloss. ord. in l. *1. ff. sol. mar. in glo. si. arg. illius text. & ibi tenet Bart. & comm. doct. præcipuè Iason num. 45. idem tenet Bart. & alij docto. in l. 1. Cod. de studi. libe. vrbis Roma. lib. 11. cuius ratio est ne impediatur ingeniosa speculatio, litteralis, quæ tendit in fauorem publicum.*

¶ Vndecimum priuilegium est: quia talis doctor & vxor eius vidua, si non mutat statum & filij, & descendentes eius gaudent omni illo commodo, priuilegio, dignitate, & prærogatiua qua vtuntur, & gaudent nobiles & clarè sanguine decorati: quia scientia nobilitat hominem sicut antiqua progenies. ita probat text. in l. *1. §. est quadam C. de variis & extra cognit.* textus in l. *proximus. C. de proxi. sacro. scrip.* lib. 12. text. iuncta gl. in l. *societas §. societas. ff. pro socio.* text. in l. *prouidendum C. de posthum. tex. in l. medicos. in l. magistris C. de profess. & medi.* lib. 10. textus in *cle. 2. de magistris*, & vtrobique comun. doct. & Petrus Lenanderius in *6. volu. tr. 2. parte. de docto. priu.*

¶ Duodecimum maius & excellentius priuilegium est: quod talis doctor, qui legerit & docuerit in proprietatis cathedra. in vniuersitate approbata: sicut nostra Salmantina per viginti annos iubilatus & illustrem veteranorum militum titulum & dignitatem acquirit sicut dux, Comes spectabilis clarissimus vel ille qui est ad latus principis. textus est in *lege unica*. Codice de *professoribus qui in vrbe Constantinopolitana docentes lege meruerunt comitiuam* libro 12. & ibi gloss. ordinat. Bart. Platea, & communiter docto. textus in l. *unica C. de comitibus & Architriatris sacri Palatij. eodem lib.* & ibi etiam comun. docto text. in l. *1. & per totum ff. de priuilegiis veteranorum.* tenet etiam Bart. in *proa. ff. veto. 3. colum. num. 11.* Alexan. & moderni. in l. *2. §. si prius. ff. de vulga. & pupill.* & idem expresse disponit *lex §. tit. si. 2. part.* & idem hodie disponunt constitutiones nostræ Vniuersitatis. Et talem titulum & dignitatem licet immeritus & indignus, solo fauore & gratia diuina consequutus fui, quia in hac Vniuersitate Salmanticensi prius omnes cathedras in iure ciuil ordinarias & salariatas habui & obtinui, duas quidē institutionum, duas etiam Codicis & vnam quæ sola est Digesti veteris, & postea duas quidem proprietatis vespertorum, in quarum secunda legi per dictos viginti annos, in quibus principales materias totius iuris ciuilis perlegi & discuti, & eas posui, & collegi in scriptura publica.

Aduertendum tamen, quod oportet, quod istud tempus 20. annorum quis legat continuo & non interpolatim: vt quia legat per certos annos in vna Vniuersitate, & postea sumpto officio diuerso, vel ex alia causa vel impedimento desinat legere sine licentia & speciali mandato eius, & denique postea in eadem

eadem vel diuersa vniuersitate iterum velit legere & perficere, quia non sufficit, ita probat textus valde notabilis in l. secunda & tertia. Codice de his qui non impleuerint lib. 10. & ibi tenent & commendant Docto. tenet etiam Platea in dicta l. vnica. C. de profess. qui in urbe Constan.

Circa prædicta tamen necessariò quæro, an doctor factus & creatus à principe præferatur aliis doctoribus? Et resolutiue dico quod si est factus & creatus, præcedente rigoroso examine, bene præferatur etiam aliis antiquioribus. Si verò solo verbo, non præferatur, argu. text. in l. 2. ff. de albo scribendo, & in l. nemo. C. de aduo. diuer. iud. & in expresso ita determinat Rom. in l. si verò §. de vir. ff. solut. matrim. 29. fal. cum quo transeunt ceteri Doct. tenet etiam & reputat singulare Iason. in l. 2. §. si prius ff. de vulg. & pup. 1. col. nam. 17. & Andr. Sicul. in præm. clem. & Marianus Senen. in cap. qualiter & quando, de accusa. 3. not.

Item etiam quæro, an talis Doctor, maxime iubilatus & illustris, præferatur militi, & sic nobili sanguineo decorato? Et certè vtraque pars posset de iure fundari. Sed ista est vera & notanda concordia, quòd in actibus militaribus præferatur miles, & actibus verò doctoralibus, & literalibus præferatur Doctor. ita singulariter determinat Felinus in

capitulo quanto de magistris, & sequitur Petrus Lenanderius in tracta. de Docto. & eorum priuilegiis 6. vol. 6. quæst. 3. par. in actibus verò ambiguus & promiscuis similiter dicitur prædicti Doctores quòd præferatur doctor, quasi ex præmio scientiæ literalis maximo labore, propria virtute acquisito. Sed certè crederem militem ex antiquo, illustri, & clarissimo sanguine præferri: quia iura, & priuilegia cetum dicuntur magis antiqua perpetua, & immutabilia, & sic digna præponi altiori loco argu. text. in l. 3. ff. de interditiis & relegatis, & in l. 1. §. pen. ff. de aqua pluui. arcend. & in l. diuo Marco. C. de quæst. & in l. si. C. de tyronibus lib. 12. cum simil.

Finalitet, & postremò, pro vera, propria, fructuosa & perpetua dignitate ineffabilis cælestis gloriæ obtinenda, quæ cunctis rebus est præferenda, humiliter summum, & omnipotentem Deum, & dominum nostrum supplico, & lachrymis exoro, vt maximos, & continuos labores, quos in militia literali, & aliis rebus spiritualibus & sæcularibus propter hunc finem sustinui, respicere dignetur: licet tanto præmio non sint condigni, sua tamen misericordia, & meritis passionis suæ, & intercessione beatissimæ Virginis Mariæ, & suæ Angelicæ annuntiationis, & aliorum aduocatorum meorum eam mihi concedere dignetur, Amen.





INDEX,

SEV REPERTORIUM EARVM

rerum, quæ in hoc opere continen-
tur, ordine Alphabetico digestus.

A



- B**ORTIVVS filius, vel ille qui viuus nascitur, tamen decedit intra 24. horas, vel declinans ad prodigium non rumpit testamentum patris, in lege 13. num. 4. pag. 100
- A**bsens quando potest accusari de iure communi, in l. 76. num. 1. 538
- A**bsens licet de iure communi non possit condemnari, possunt tamen contra absentem recipi testes ad perpetuam rei memoriam ibid. n. 4. 539
- A**bsens in aliquibus casibus potest condemnari, num. 7. ibid. & quo modo contra absentem procedatur, ibid. num. 8. 541
- A**bsens ex integro audiendus est, licet post annum capiatur, vel ipse sponte se carceri tradat, ibid. num. 11. 542
- A**bsens si contumax est, processus contra eum factus valet, ac si in præsentia fieret, ibid. n. 13 544
- A**bsens si innocens reperiatur, absolvendus est in sententia, & non condemnandus, ibid. n. 14 545
- A**bsens an possit à iudice pronuntiari inimicus offensi, vt offenso vindicta committatur, n. 15. 546
- A**ccessus cum persona alterius sectæ est punibilis, & qua pœna puniatur, in l. 80. num. 26. 560
- A**ccessus contra naturam, qua pœna puniatur, l. 80. n. 32. 562
- A**ccessus per vim, tamen sine raptu, qua pœna puniatur, n. 41. 576
- A**ccessus carnalis ante matrimonij constitutionem iure naturali non erat punibilis, in l. 80. n. 1. 554
- A**ccessus quilibet præterquam matrimonialis, est punibilis, ibid. n. 4. 555
- A**ctio quæ competit vxori pro petenda dote à marito vel hæredibus eius, in l. 50. n. 37. 472
- A**ctio personalis & executoria durat per 20. annos l. 63. n. 2. 509
- A**ccipiens rem, vel eam obseruet, detentare dicitur, in l. 45. num. 7. & quis contractus sit præsumendus, ibid. 279
- A**ccusatore absente reo tamen præsentem potest ferri sententia, in l. 76. n. 2. 539
- A**ccusare de adulterio quis potest, l. 80. n. 49. 561
- A**ditio hæreditatis inducitur per petitionem ipsius, in l. 45. n. 154. 373
- A**duocatus quando possit exercere officium suum, & quando potest percipere salarium, l. 2. n. 5. 8
- A**dultus etsi cutatorem habeat, testari potest, in l. 3. n. 5. 12
- A**dulterij pœna quæ sit tam de iure communi quam regio, l. 80. n. 47. 558
- A**dulterium an committatur cum sponsa alicuius, n. 47. pag. 559. versic. Dubium tamen est, & an adulterium committatur quando matrimonium est inualidum, n. 48. 560
- A**dulterium qualiter proberur, ibid. n. 50. 561
- A**dultera mulier quas excusationes habeat, n. 71. 577
- A**edificium in re mea factum palam, quo remedio destrui possit, in l. 46. n. 21. 426
- A**edificium factum post mutationem noui operis, destruendum est sumptibus ædificantis, ibid. n. 33. 430
- A**lienatio fundi dotalis licet dominium non transeat in accipientem, transit tamen possessionem, in l. 45. n. 26. 291
- A**lienigena quam formam debet adhibere in testamento suo si diuersa sit forma quam in patria sua, in l. 3. n. 20. 16
- A**limenta an relinqui possint filiis spuris & incapacibus in l. 9. n. 37. fol. 92. in quanta quantitate debeantur ista alimenta, ibid. n. 40. 93
- A**limenta filiis naturalibus & spuris debita morte non finientur contra naturam alimentorum, ibid. n. 42. 94
- A**limenta fratribus quis præstare teneatur, frater maioratusque successor, vel mater diues, in l. 40. numero 75. 250
- A**lienari an possint bona maioratus, l. 40. num. 81. 255

Alienari

Index Rerum.

Alienari bona maioratus ex causa dotis, vel alia causa pia an possint, l.40.n.87.259
Alienare pater transiens ad secundas nuptias bona quæ habuit ab vxore non potest, l.14.n.5.113
Alienata re certa in quo fuit facta melioratio an censeatur ex eo reuocata melioratio, l.19.n.5.136
Appellatio in causa falsi non admittitur, in l.83.n.14.525
Appellatio non habet locum in causa possessionis in l.45.n.fina.vbi notabiliter declaratur, 414
Appellari an possit à sententia data in causa dotis, in l.50.n.54.484
Aquam dominus molendini an continere possit in sui vtilitatem, licet alteri damnum faciat in l.46. num. 21. ver. ex quibus aperte, 426
Argumentum de feudo ad maioratum an valeat, l.40.n.77.251
Arbitri si plures sint, vnus sine alio an iudicare possit, l.38.n.4.206
Arrha in matrimonio quid sit & quid opereatur, in l.40.n.12.214
Arrha non excedit decimam partem bonorum mariti, ibid.n.13.215
Artharum donatio mortua vxore tam ex testamento quam ab intestato pertinet ad hæredes vxoris, & corrigitur lex fori quæ contrarium volebat, in l.50.n.14.versi.Item adde, 459
Arma portans si statuto ceueatur vt cum eis inuentus ea amittat, intelligi debet si cum eis apprehendatur, in l.45.n.48.305
Arma portans in loco prohibito visus à iudice vel executore, si aufugiat & se recipiat in locum tutum, & à iudice vel executore insequatur, poterit iure eis exspoliari, ibid. 306
Ascendens grauatus de restituenda hæreditate vnam tantum deducit quartam, in l.3. num. 85.32
Ascendentes succedunt secundum gradus prærogatiuam, in l.6.n.5.54
Ascendentes si succedant descendentibus succedunt in stirpes, & non in capita, ibid.num. 9.56
Ascendentes an possint renuntiare successioni filiorum, in l.22.n.3.140
Ascendentes an conferre teneantur, quæ habuerunt à filiis, l.29.n.9.175
Authoritas tutoris necessaria est pupillo ante obligationem, nec sufficit si postea sequatur, in l.42.n.1.270
Auus paternus si concurrat in successione nepotis cum auo materno, an fiat distinctio bonorum vel æqualiter succedant in l.6. n.7.fol.55.& vide, n.16. ibid. 69.

B

Baccalaureus non potest creari nisi per quinquennium studuerit, in l.2.n.7.8
Bona hodie in dubio non præsumuntur vacantia, l.45.n.2.276
Bona quæ sunt conferenda, quæ sint, in l.29. n.10.177

Bona nulla habens an testari possit, l.3. num. 17.15
Bona quæ filius acquisiuit in vita patris ex sua industria an conferatur inter fratres in l.29. n.24.versi.duodecimò infero, 184
Bona si non appareant propria mariti, præsumuntur superlucrata, in l.50.n.70.495

C

Castitas, & pudicitia consistit in matrimonio, l.80.n.3.554
Captatoria voluntas quæ dicatur, l.51.n.1.196
